VETUS ET NOVA PHILOSOPHIA MORALIS: OPUSCULUM HUMANARUM...

Johann Christoph Fugmann




BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
8 M
39

[illegible]

[illegible]

1716. con cartino.

VETUS ET NOVA PHILOSOPHIA MORALIS:

Opusculum

Humanarum Literarum Cultoribus haud fortè injucundum.

AUCTORE

JO. CHRISTOPHORO Hugmann.



WITTEBERGÆ,

Literis & Impensis JOHANNIS WILCKII.

ANNO M DC LXXIX.



SYNEDRII SUMMI ECCLESIASTICI

PRÆSIDI,

ILLUSTRISSIMO DOMINO

DN. CAROLO, LIB. BARONI

â FRIESEN,

IN RöTHA, COTTA, GESCHWITZA DYNASTÆ, SERENISS. AC POTENTISS. *ELECTORIS SAXONIÆ* IN SANCTIORE CONSILIO SENATORI ET COMITI EMINENTISSIMO &c. &c.

DOMINO MEO GRATIOSISSIMO;

NEC NON

CONSILIARIIS GRAVISSIMIS,

VIRIS MAGNIFICIS

DN. MARTINO GEIERO,

SERENISS. ELECTORI SAX. A CONCIONIBUS AULICIS PRIMARIIS ET CONFESSIONIBUS SACRIS,

DN. JOHAN: ANDREÆ LUCIO,

ECCLESIÆ AD D. CRUCIS, QVÆ DRESDÆ EST, PASTORI ET VICINARUM SUPERINTENDENTI,

THEOLOGIS SUMMIS;

DN. ADAMO CHRISTOPH: JACOBI,

DN. JOHANNI GEORGIO NICOLAI,

JCTIS NOBILISSIMIS,

DOMINIS, PATRONIS, PROMOTORIBUS ET EVERGETIS MAXIMIS,

FELICITATEM!

ILLUSTRISSIME DOMINE,
MAGNIFICI VIRI;

SI VOBIS eô nomine, hoc qvicqvid est ſcriptionis, dicarem, qvo omnes ſapientiæ cultores reverentiam exhibent, diligentemq́; cultum tribuunt, nihil aliud agerem, qvàm qvod conſvetudo ac uſus efflagitat. Summa enim Veſtra prudentia atqve doctrina, qvam omnis orbis admiratur, hoc proprium ſibi vendicat, ut ſcriptis illam celebrare, atq; ad poſteros propagare, allaborent omnes, qvibus mens indita ad rectè ſentiendum.

Sed

Sed propior eſt cauſa, qvæ me hûc impulit. VOS, PATRIÆ PATER, JOHANNES GEORGIUS SECUNDUS, GLORIOSISSIMUS PRINCEPS, ad regendas res Eccleſiaſticas, ad tuendas Academias conſtituit, ut Veſtrâ auctoritate atq; juſſu omnia adminiſtrentur. Et verò in alma Leucori, jucundo illo Muſarum loco per aliqvot annos, multis beneficiis Veſtris affectus, vixi. Pietatis igitur officium eſſe duxi, aliqvod eruditionis ſpecimen edere, atq; præſcriptione Nominum Veſtrorum, qvibus magna ineſt veneratio, & obſervantia, porro gratiam conciliare. Eſt Philoſophia Moralis ex veteribus Scriptoribus eruta, alio ordine digeſta, atq; ad præ-

ſens

ſens tempus accommodata. Sternit Ariſtoteles fundamenta, qvibus alia deinde innituntur. Mihi enim in Moralibus omnem laudem tuliſſe Stagirites videtur, qvem ſeqvi ſana ratio jubet. Hæc Philoſophia, qvoniam mores hominum perficit, honeſtatem perſeqvi, turpitudinem fugere, atq; ex conſcientia & recta ratione agere docet, non incommodè ita vocari videtur. Multô præſtantior illâ parte, qvæ in nuda contemplatione conſiſtit, nihil ad vitam inſtituendam adjumenti afferens. Vos, ILLUSTRISSIME DOMINE, PATRONI MAXIMI, comiter qvæſo accipite hoc reverentiæ atq; cultûs ſpecimen, neq; de mea diligentia dubitate: certum

tum

tum enim eſt, ſi non meliora, attamen uberiora ſubſecutura. Addo muneri votum: DEUS VOS SERENISSIMO ELECTORI inter tot imminentia mala conſervet, atq; omni felicitate, qvam omnes boni precantur, augeat!

VESTER,

ILLUSTRISSIME DOMIME,
MAGNIFICI VIRI,

Witteberga d. XXV, Febr.
clɔ Iɔc LXXVIII.

perpetuus famulus
atq; cliens


JO. CHRISTOPHORUS Fugmann


Lectori Benivolo S. P.

OFfero Tibi Philosophiam Moralem ex veteribus Scriptoribus Aristotele, Epicuro, Cicerone, adornatam. Non diffiteor uberiorem suscipi laborem, atq; eadem ratione aliorum Philosophorum sententias pertractari posse, sed jam allegatos pro instituto meo ita in publica luce repræsentare sufficiat. Est Aristoteles primus inter omnes, qviq; omni laude superior. Epicurus vulgò infamatus, sancta suggerit præcepta. Miror cujusdam inscitiam, qvi à nemine hujus Philosophi sententias publicatas esse asserebat, cùm Gassendi doctissimus labor notus esse debuisset. In compendium ego totam doctrinam redegi, & qvod Gassendus omisit, judicium addidi. Cicero Stoicum se præbet, & hôc bene cognitô, facile erit Stoicorum Philosophiam dijudicare. Et verò in his antiqvis præstantissimisq; Philosophis explicandis non abstinui novis atq; recentibus exemplis, qvæ hodiernam vivendi consvetudinem, hominumq; virtutes & vitia sistunt: nonnunqvàm Respublicas ac Principum regimen pervagatur oratio. An enim Philosophus instruet tantùm privatos homines: imo qvoniam imperantium exemplô vel ad honestatem, vel ad turpitudinem invitantur subditi, non vulgariter hic laborandum. Vir clarissimus Dn. SCHELGVIGIUS Gedanensis Gymnasii Professor, qvi qvondam in hac alma Leucorea omne literarum genus magnô applausu docuit, in qvadam epistola ad me transmissa tale format judicium: *Aristotelem qvasi redivivum, pallium mutasse & nostræ ætatis habitum assumsisse videri.* Adjeci ultimô locô Moralia, qvæ in usitatis libris Ethicis minimè conspiciuntur, usum tamen in vita humana uberrimum habent. Hæc nova est Philosophia Moralis. Hic iterum plura, si animus fuisset, potuissent cumulari. Cæterùm exercendis Commilitonibus unum alterumq; non ignobile argumentum imposterùm propositurus sum. Confido enim ingeniô florentissimos Juvenes, uti hactenus factum, ita porro in publicandis Disputationibus mihi operam daturos; inprimis cùm nullum exercitium utilius excogitari qveat, qvàm ubi ad promtè respondendum, ad promtè objciendum excitantur animi, & publicis speciminibus calcar studiorum habent.

Vale Lector benivole.

ARISTO.





ARISTOTELIS PHILOSOPHIA MORALIS.

CAPUT I.

Ariſtotelis Laus.



Iraculum naturæ, & omnis ſapientiæ fons non immeritò audit Ariſtoteles: in illum qvicqvid artium, qvicqvid doctrinæ humanæ reperitur, cumulatisſimè congesſit natura. Hinc neſcio cujus imprudentiæ, vel ſtultitiæ potiùs accuſandi, qvi præteritò fonte, rivulos ſectari malunt, atqve ex aliis ſcriptoribus, qvàm ex Ariſtotele ſapientiam haurire. Satis argumenti hoc ipſum eſt, illos ad nullam ſolidam doctrinam pervenire, inidoneos eſſe ad æſtimandum rei literariæ decus. An enim qvos in Scholis, qvos in Academiis deprehendis ſummos viros, atqve eminere vides, ab Ariſtotelis lectione diligenti ceſſare putas? Imò fundamentum doctrinæ ſuæ in tanto doctore ponunt, qvô præſtantior ob ſtupendas ingenii dotes nullus extitit. Fuit tempus, qvô ex ſuo ingenio tantùm philoſophabantur homines, inanes diſtinctiones, diviſiones fingentes, ſubtiles vel obſcuras potiùs definitiones formantes, ut neqve ipſi intelligerent, qvid vellent, nedum aliis cogitata animi patefacerent, aut ſcriptis ſententias ſuas declararent: illis profligatis ineptiis, in antiqvum ſtatum, i. e. in priſtinam dignitatem reſtitutus eſt Ariſtoteles. Caput

enim adhuc inter omnes Philoſophorum ſectas feliciſſimè extollit Peripatetica: inuſitata ſunt nomina Epicurea, Stoica, & Academica. Si hinc inde novi ſuborti, vel ſuboriuntur doctores, per illorum obtrectationes nihil detrahitur veriſſimis laudibus Ariſtotelis. Sed cùm tota Philoſophia cognitione digna, nec ulla ejus pars relinqvenda ac deſerenda ſit: tamen nullus præſtantior in eâ locus eſt, nec magis neceſſarius, qvàm de honeſtate & turpitudine, deqve hominum vita & moribus. Qvod ſi enim non benè colitur ſocietas hominum, neqve debita præſtantur officia, aut tecum ipſe rectè non vives, in aqva pones fundamenta cæterarum diſciplinarum. Hac verò in Philoſophiæ parte, qvæ ad practicam, ut vulgò dicitur, ſpectat, atqve à nobis jam tractanda eſt, divinum ſe exhibet doctorem Ariſtoteles, ut & inchoando, & abſolvendo morum doctrinam, immortale atqve ſupra omnem invidiam poſitum nomen conſeqveretur.

CAPUT II.

De libris Ariſtotelis Moralibus.

OFferunt ſeſe inter libros Ariſtotelis Morales, primùm illi, qvos ad Nicomachum filium ſcripſit, inde Nicomachii dicti, atq; ob amplitudinem & perfectionem doctrinæ primô locô collocati. Et verò non ab antiqvis ſolùm ſcriptoribus, verùm etiam recentioribus dubitatum, an hoc opus Ariſtoteli, an filio tribuendum ſit. *Cicero* filium Nicomachum auctorem facit: *Fin. l.5.c.5.* *Qvare teneamus*, inqviens, *Ariſtotelem, & ejus filium Nicomachum, cujus accuratè ſcripti de moribus libri, dicuntur illi qvidem eſſe Ariſtotelis, ſed non video, cur non potuerit patri ſimilis eſſe filius.* Sed dum nullas ſuæ ſententiæ adducit rationes, non videmus, cur meræ auctoritati fides tribuenda ſit. Perſvaſi autem ſumus parùm rectè evolviſſe Ciceronem illa ſcripta; qvæ enim de virtutibus hîc, atq; de tota morum doctrina diſputantur, parùm conveniunt cum principis oratoris, & Stoici philoſophi præceptis.

Idem

Idem ſentire *Diogenes Laërtius* videtur, qvi Nicomachum Ariſtotelis filium in Ethicis ſcribere ait, qvod Eudoxus in voluptate ſummum bonum collocârit. Hoc verò de voluptate etiam aſſeritur in libris Nicomachiis. An forſan proprium laborem atqve ſtudium præſtiterit Nicomachus, alii judicent. *Vita Eudoxi.* *l.7. c.13.*

Inter recentiores eminet *Fr. Patricius*, qvi eandem tuetur opinionem. Inprimis notandum, qvòd ille ad ſuæ aſſertionis rationem unum cum alio locum confert, examinans an pugna detur atqve diſſenſus. Qvando enim *Ariſtoteles* dicit: Διόπερ τὸ ἴσον τὸ ἀντιπεπονθὸς σώζει τὰς πόλεις, ὥσπερ ἐν τοῖς ἠθικοῖς εἴρηται πρότερον: *Qvare æqvale mutuum tuetur civitates, qvemadmodùm in libris de Moribus dictum eſt priùs*, colligit ex Nicomachiis libris prorſus contrariam ſententiam, & qvidem ex his verbis: Τὸ ἀντιπεπονθὸς οὐκ ἐφαρμόττει, οὔτ' ἐπὶ τὸ διανεμητικὸν δίκαιον, οὔτ' ἐπὶ τὸ διορθωτικόν: *Mutua ſive reciproca perpesſio neq; ad id jus, qvod in diſtributi.ne bonorum verſatur, neq; ad id, qvod ad emendationem factorum valet, accommodari poteſt.* At nulla pugna inter allegatos locos. In civitate enim, qvoniam cives ſunt inter ſe inæqvales, non obſervanda eſt omnimoda æqvalitas, cùm adeſſe debeat propter inæqvales qvædam inæqvalitas; nihilominùs qvando omnia ſecundum vel proportionem geometricam, vel arithmeticam diſpenſantur, reſultat inde æqvalitas, qvod eſt τὸ ἀντιπεπονθὸς σώζει τὰς πόλεις: Contra in Nicomachiis libris Pythagorica talio vituperatur, non æqvalitas ſecundum qvandam proportionem. Ubi igitur diverſus verborum ſenſus atqve acceptio, ibi nulla oppoſitio locum habere poteſt. Poſteà in examen locus ille venit: Ἀλλὰ τὸ μακάριον ἐν τοῖς ἐναντίοις ἐστί. Καὶ γὰρ τοῦτο διώρισται κατὰ τοὺς ἠθικοὺς λόγους: *Veruntamen, qvod beatum eſt, in contrariis manet. Hoc enim definitum eſt in diſputationibus de Moribus:* Ubi enim in libris Nicomachicis mentio fit, qvòd beatitudo in contrariis ſubſiſtat? Nulla attento lectori patebit oppoſitio: In proximê antecedentibus diſputavit Ariſtoteles, à bono viro paupertatem & morbum, aliasq; res adverſas rectê magnoqve animô ferri; inde colligens beatitudinem in contrariis, id eſt, *Diſcuſſ. Perip. l.1. c.4.* *Pol. l.2. c.1.* *l.5. c.5.* *Pol. l.7. c.13*

 in

in divitiis, in bona valetudine, & secunda fortuna consistere. Nemo enim nisi planè expers Philosophiæ Aristotelicæ à summi boni possessione excludet corporis, & fortunæ bona. Qvòd verò scribit Patricius, valdè inconveniens esse Nicomacho puerulo dicare tàm copiosæ & exactæ eruditionis librum, nihil planè probat. Optimum enim paterni affectûs specimen est, tale opus relinqvere filio, qvod morum rectitudini atqve honestati informandæ inserviat.

Qvapropter concludimus his rationibus: Si Politicam conscripsit Aristoteles, utiqve & auctor librorum Nicomachiorum existit, dum sæpiùs illos allegat: prius satis constat, ergò de posteriori nullum remanet dubium: Si vetustisſimi Græci interpretes non alium, qvàm Aristotelem auctorem agnoscunt, videt qvilibet, qvantum hinc auctoritatis accedat. Hoc ipsum evincit etiam illa singularis methodus, tamqve anxia rem certisſimis argumentis probandi cura, cùm anteà nulla Ethica systematicè conscripta reperiatur. Porrò qvando rejicitur Platonis Idea de summo bono, & ardua dicitur disqvisitio: Διὰ τὸ φίλους ἄνδρας εἰσαγαγεῖν τὰ εἴδη: *Propterea qvòd homines nobis amicisſimi ideas introduxerunt;* facilè judicare licet, hæc Aristotelis, non Nicomachi esse verba. *l.1.c.6.*

Seqvuntur Magna Moralia, qvæ injuriâ temporis decerpta & mutilata habemus: sæpiùs negligitur accurata illa Aristotelis methodus, verba & phrases non benè cohærent. Prout igitur nunc apparent, vix Aristotelis esse, res ipsa loqvitur. Dubitet verò aliqvis non immeritò cum *Petro Victorio* cur libri illi magni vocentur, cùm minimè respondeant numero reliqvorum, propeve ad ipsum accedant, & de rebus ipsis, qvas attingunt, breviùs, concisiusq; præcipiant. *Comment. in Ethic. Arist. Præfat.*

Restat opus librorum, qvorum index est Ἠθικὰ Εὐδήμεια, qvia ad Evdemum illud missum est. Fuit Evdemus hic natione Cyprius, qvi Athenas venit, ad Platonisqve amicitiam se applicavit, cùm domô exularet, unde etiam familiaritatem Aristotelis consecutus est, cùm & ipse studiis sapientiæ delectaretur, familiarisq; foret

foret omnium, qvi scholam Platonis freqventabant: neq; tamen coleret solùm honesti otii studia, & qvietis, verùm etiam militiæ ac belli: nam cùm Athenis multùm Evdemus vixisset, benevolentiam qvoq; adeptus est Dionis Syracusani, qvi Dionysio suspectus, illic vivebat, & inceptam amicitiam in Sicilia cum Platone recolebat, unde factum fuit, ut operâ Evdemi Dion uteretur in cogenda clam manu militum ad Dionysium ex injusto illo regno exigendum. Illi verò libri ad Evdemum scripti, prout hodiè habentur, vix ad Aristotelem tanqvam auctorem referendi sunt. Magna conspicitur Φεάσεως dissimilitudo, magna occurrit sententiarum diversitas, tot prostant loci corrupti, ut certus sensus elici planè neqveat. Neq; tamen simpliciter ita colligendum: hodie manci sunt libri, injuriâ temporis tantoperè deperditi, ut vix auctorem Aristotelem referant, ergò non habent Aristotelem auctorem. Imò unus idemqve scriptor diversò in diversis libris sæpiùs utitur dicendi charactere. Et verò qvia antiqvitas nonminùs Magna Moralia, qvàm Evdemios ex Nicomachiis corrigere atq; supplere voluit, ergò sunt Aristotelis. Non aliter sentit, *Joannes Bernardus Felicianus* excellenter de his literis meritus vir, qvi utrobiq; Aristotelem auctorem nominat. *In his*, inqviens, *qvæ ad mores attinent, adeò elaboravit*, (Aristoteles) *ut non unum opus, sed tria ea de re sibi scribenda censuerit: Unum qvod Magna Moralia ob id fortasse inscripsit, qvòd summatim ac generatim de moribus duobus libris pertractat: alterum, qvod qvia ad Evdemum scriptum fuit, Evdemea Moralia appellavit, in qvo latiùs rem eandem octo libris persecutus est: tertium decem libris distinctum.* Habes viri gravissimi gravissimum testimonium. *Dedicati-on. in opus Aristot.*

CAPUT III.

De Commentatoribus in opus Nicomachium Aristotelis. Laudatus de novo Aristoteles.

MUltùm juvat in omni ſtudio cognitos habere auctores, & qvi præ aliis auctoritatem obtinere videntur. Hàc vice perſeqvemur illos, qvi noſtro inſtituto inſerviunt.

Andronicus Rhodius optimus cenſetur paraphraſtes. Elegantisſima eſt verſio, qvam cum Græco textu elegantisſimæ Latinitatis ſcriptor edidit Daniel Heinſius. Sed de auctore dubitatur, cùm in Mſc. nullum extet nomen, & ſi unus forſan codex expresſſum, alter mutilatum exhibeat, inde tamen nihil certi concludere licet, cùm librariorum imperitia ſatis nota ſit: imò jam laudato Heinſio in altera editione Olympiodorum potiùs, qvàm Andronicum appellare placuit. Huic paraphraſi adjunctus eſt libellus περὶ παθῶν de *Animi Affectionibus* ſub ejusdem Andronici nomine, & Anonymus de virtutibus & vitiis, operâ Davidis Hœſchelii.

Euſtratius, Aſpaſius, Michaël Epheſius in Latinum verſi à doctisſimo *Feliciano*, cujus propoſitum habetur in Epiſtola dedicatoria ad Alexandrum Farneſium S. R. E. Cardinalem. Teſtimoniô egregiô illos dignatur celeberrimus Dn. *Conringius*, adjunctô ſimul gravi judiciô, qvando ait: *Hi tres citra controverſiam non ſanè in poſtremis ſunt cenſendi. Video tamen, perqvàm adhuc eſſe difficile definitu, qvid nam hujus operis ab hoc, vel illo, vel iſto ſit profectum, etiam ipſismet antiqvis exemplaribus ea in re non ſatis inter ſe convenientibus.* Fuit hactenus exemplarium defectus, de novo igitur edi curavit hos ſcriptores Dn. Rachelius in nova Holſatorum Academia Juris Naturæ & gentium Profeſſor clarisſimus.

Ep. ad Dn. Rachelii.

Averroës, aliis *Ibno-Raſiidus* dictus, prolixum edidit commentarium, à paucis eqvidem in pretio habetur: ſed ſi Arabica lingva lectori cognita foret, vel verſio meliore veſte induta conſpiceretur, non ſine magna utilitate ex prudentum, eruditorumq; virorum judicio adhiberetur.

Albertus Magnus, Epiſcopus Ratisbonenſis libros XVI. Philoſophiæ Moralis conſcripſit, eâ ingenii felicitate, ut bene Ariſtotelem explicuiſſe videatur.

Tho-

Thomas Aqvinas, aliàs *Angelicus* dictus, multâ subtilitate ad mentem Aristotelis scripsit Philosophiam Moralem. Qvod verò dolendum in officinis vix comparari potest, sed Summâ contenti simus oportet, qvam cum aliis operibus summatim publicavit Cosmus Alamannius Parisiis 1640.

De his duobus postremis tale est judicium *Gabrielis Naudæi: Minùs paulò, qvàm cæteri inqvinatè locuti sunt, judiciò verò, doctrinâ, subtilitate, supra morem & fatum sui seculi excelluerunt.* *Bibliog. Polit.*

Gvalterius Burley, Anglus, in hos qvidem libros commentatus est, sed vix recedit ab Alberto Magno, & Thoma Aqvinate.

Joannes Argyropylus, Byzantius, prælectiones habuit, atqve simul interpretationem addidit: sed ipse nihil edidit in publicam lucem.

Donatus Acciajolus, Florentinus, hujus Argyropyli discipulus, atqve posteà præclarus suô tempore philosophus. Iniqve de eo judicat *Gabriel Naudæus*, ac si præceptoris prælectiones non absq; manifesto plagii crimine sibi vendicasset. *l. c.* Fatetur Acciajolus, ut ingenuus homo, per qvem profecerit, & ipse suô studiô qvædam amplificavit, qvædam immutavit, Græca in Latinum vertit sermonem, ut opus Acciajoli nomen jure suô præferat.

Chrysostomus Javellus, Canapucius annotandus est, de qvo ita sentit Magnificus Dn. D. *Qvenstedt: Philosophus inprimis suæ ætatis eruditissimus, qvi omnes ferè philosophiæ partes egregiè illustravit.* *Dialog. Illustr. vir.*

Jacobus Faber, Stapulensis, *rudior adhuc & nondum plenè maturus* perhibetur, à *Gabriel. Naudæo*, qvi tamen ab aliis scriptoribus laudari solet: certè à diligentia, studiô atq; labore commendandus auctor. *l. c.*

Antonius Montecatinus, Ferrariensis, in præfatione ad Politicos Aristotelis libros mentionem facit commentarii Nicomachii. Qvi commentarius sine dubio inter ineditos est referendus, atq; dum ille vir, tantum se præstitit in doctrina Politica, ingenii vim ubiq; ostendens, non diutius bono publico subtrahendus esset.

Philippus Melanthon, communis totius Germaniæ præceptor qvondam dictus, hîc non prætereundus est. In libr. I. II. III. IV. V. confecit commentationem, qvô successu facilè æstimare licet, qvoniam à tali ingenio nihil nisi summum & perfectum elaboratur. Mirum qvarè studiosa juventus non sedulò hujus viri scripta evolvat.

Dionysius Lambinus, magni ingenii vir, & qvondam Lutetiæ Parisiorum Professor clarissimus, tam de aliis, qvàm de his studiis excellentissimè meritus est.

Joachimus Camerarius decus illud Lipsiense accuratissimâ explicatione multum laboris suscepit, primi & secundi libri versio deest, & sola habetur commentatio. Forsan causa est, qvòd ultimam manum non admoverit operi, dum illud post obitum editum est.

Petrus Victorius luculentâ atqve amplissimâ formâ edidit commentationem, idem institutum obtinens, ut textum accuratissimè explicet. Sed magnô lectoris adjumentô ab aliis scriptoribus libros in capita intersecatos vides, hîc nihil tale reperitur.

M. Antonius Muretus in omni doctrina summus vir, reliqvit opus ad hoc institutum elegantissimum, qvod periisset, nisi Andreas Schottus ex sparsis schediasmatis, qvorum multa ipsius Mureti manu exarata erant, collegisset, thesauriq; lòcô conservasset. In librum qvintum præcipuum adhibuit laborem, qvem & interpretatus est Latinè & doctissimam addidit commentationem.

Antonius Riccobonus, Patavii diu humanarum literarum Professor, versionem, & commentationem publicavit, qvæ suâ laude nunqvam destituuntur.

Zuingerus prolixas edidit tabulas cum commentatione, novas afferens capitum divisiones. Sed ni fallimur, melius est antiqvum morem hâc in parte retinere, qvàm novitate confundere lectorem.

Samuel Heilandus, & *Theophilus Golius*, ille in Tübingensi, hic in Argentoratensi Academia qvondam Professores, qvæstiones & re-

responsiones breves ita tractarunt, ut neq; verbis, neq; rebus ipsis insit obscuritas & intelligendi difficultas. Sed nescio, qvomodò attentus cupidusq; lector semper aliqvid desideret.

Joannes Magirus exhibet Analysin horum librorum, non sine magna lectoris utilitate & jucunditate, dum facilitati ubiq; studet.

Jacobus Schegkius insignis Peripateticus, & qvantum præstiterit, vel solum indicat nomen.

Hubertus Giphanius est ille in Ethicam Aristotelis scriptor, qvi valde commendari solet.

Dicit *Grotius* se in opere de Jure Belli & Pacis conficiendo testimoniis Philosophorum usum fuisse. Uti res ipsa probat magnô studiô evolvit Aristotelem & commentatores, inprimis doctissimam commentationem *Michaëlis Ephesii*, cujus verba alio in loco longâ seriê enarrat. Ridiculi igitur sunt, qvi laudant Grotium, vituperant Aristotelem, cùm Aristoteles Grotio vel maximo argumento fuerit. Sed abeant illi nasutuli, atq; priùs rem literariam ex dignitate æstimare discant, qvàm suô immaturô judiciô omnis doctrinæ & sapientiæ architecto iniqvi sint. *Proleg.* *Flor. Spars. ad Jus Just. tit. de Justit. & Jur.*

CAPUT IV.

De libris Aristotelis Moralibus, illos esse acroamaticos.

Hìc qværi solet, an libri Nicomachii acroamatici, an exoterici sint. *Cicero* discrimen explicat his verbis: *Duo genera librorum sunt, unum populariter scriptum, qvod ἐξωτερικὸν appellabant: alterum limatius, qvod in commentariis reliqverunt.* *Fin. l. 5. c. 5.* Per illud limatius genus intelligit illud, qvod acroamaticum nos vocamus. Primùm enim, qvantâ fieri potest, diligentiâ conscribendum est: deinde firmis rationibus demonstrationibusq; uten-

dum, ut veritas constet, & adstruatur. Ex opposito exotericum genus erit populare, sine studio, & ex dialecticis tantùm rationibus confectum.

l.20. c.5. *Gellius* adhuc aliud discrimen affert, qvòd ad acroamaticum genus nemo admissus fuerit, nisi cujus ingenium & eruditionis elementa, atq; in discendo studium laborq; exploratus fuisset; tempus etiam matutinum acroamaticis libris destinatum fuisse. Sed exoterico generi interfuisse juvenes sine delectu, & matutinô qvidem tempore.

Jam per se patet, libros Nicomachios ad acroamaticos spectare. Accurata in illis conspicitur methodus, eâ probandi viâ proceditur, qvæ non dialectica, sed demonstrativa vocatur. Et si qvæ occurrunt dialecticæ probationes, non tamen inde tollenda potior denominatio. Et forsan illæ probabiles rationes à vetustissimis Philosophis insertæ, ut qvalibuscunq; Aristotelis potius verbis, qvàm alienis doctrinam moralem adimplerent. Difficile autem intellectu hôs esse libros animadvertet, qvi tot sententias, tot explicationes de una eademq; re perspexerit, vel ipse accuratiori studiô legendos ad manus sumserit.

CAPUT V.

De Summo Bono.

SUmmum bonum seu summa felicitas pro ultimo fine in actionibus nostris ponitur, ille finis longè præstantissimus est, qvô obtentô, multâ lætitiâ animus perfunditur. Ita enim sedulitas hominum comparata est, ut semper ob certum aliqvem finem operetur, qvi finis dum bonus est, sponte seqvitur, illum ultimum constituere summum bonum.

Inest homini & anima sensitiva, & anima rationalis, cumq; hæc longê præstantissima sit, domicilium qvoq; constituit summi boni. Neq; verò appetitus sensitivus à summi boni possessione

planè

planè excluditur, sed dum sese submittit superioris imperio, particeps simul redditur.

Illud ultimum bonorum non cuilibet tribuimus homini, verùm illi, qvi prudentiâ valet. Qvi in Rep. dignitate pollet, in eo magis est conspicuum. Reqviruntur præterea hîc facultates, divitiæ, reqviritur amicorum copia, splendor nominis, atq; ut virtus rectè observetur, prudentia adsit oportet. In cæteris hominibus dari umbras & imagines summi boni facilè conceditur. Et qvis in plebejo homine ponere vellet ultimum bonorum: ubi enim nulla prudentia, ibi nobilissimus ejus effectus esse neqvit.

Ex diversitate autem vitæ diversa oritur de beatitudine sententia. Plebeji homines & ineptissimi qviq; arripiunt voluptatem multâ jucunditate ad sensus affluentem, hinc gulæ, libidini indulgere, exoptatissima res censetur. Neq; tamen omni ratione destituuntur. Qvoniam enim alios dignitate conspicuos, & in aulis viventes, tali vitæ genere delectari vident, præclarè agere sibi videntur, si eorum mores imitentur.

Sunt homines, qvi honorem nominant, felicitatis apicem se consecutos opinantes, modò in honore ac dignitate sint. Sed frui honoribus in tua potestate minimè situm est, cumq; hodie emineas, cras dejiciaris, & honorem non per se, verùm ob virtutis opinionem expetas, facilè patet, qvòd beatitudo, qvæ proprium ac stabile bonum dicit, in honore ponenda non sit.

Neq; in ipsa virtute tanqvàm habitu, sed potiùs in actione consistit. An ille enim felix dicendus, qvi per omnem vitam desidiosus, qvi omnibus infortuniis opprimatur?

Sunt, qvi rerum contemplationem & cognitionem summum bonum esse censent. Verum enimverò in vita humana multò anteferendus est, qvi prudentiam sectatur, qvàm qvi de rebus abstrusissimis, de terra atq; cœlo solus secum meditatur, ac multas demonstrationes de utriusq; magnitudine, & qvalitate elicit. Certè homine dignius est honestatem tueri, qvàm dulcia ejusmodi somnia ex nudis speculationibus concipere, vel etiam rerum veritatem explorare.

Divitiæ autem pro summo bono haberi minimè possunt. Sunt illæ optima instrumenta vitæ degendæ, qvibus nos conservare, aliisq; prodesse valeamus: Sed dum ita expetuntur ob usum tantùm vitæ humanæ, facilè cernitur, qvantoperè distent à laudatissima denominatione.

Qvidnam igitur tandem erit ultimum bonorum? Sunt honestæ actiones ex prudentiæ vi susceptæ: perdurant illæ in homine, non facilè transeunt. Qvòd si adversa accidunt, prudentia eô modô ferre docet, ut nihil à vitæ integritate ac morum pulchritudine deflexum esse videatur.

CAPUT VI.

De Virtutibus & Vitiis.

MEdia qvæ ad summum bonum ducunt, sunt virtutes, honestæ, pulchræ, atq; laudabiles actiones. Hoc enim in loco non sufficit cogitationem suscipere, qvomodò summum bonum acqviratur, sed omne decus in eô consistit, ut secundum virtutem agatur.

Virtus omnis habitum refert, qvi efficit, ut homo in suis actionibus promtus sit, atq; inde laudem reportet. Hæc enim est natura laudabilis habitûs, ut omnem errorem tollat, atq; qvod rectum ac perfectum sit, ostendat. Ita JCtus ex prudentiæ suæ habitu novit, qvid justum, qvid injustum, exinde promtus est in rebus dijudicandis, circumstantiis perpendendis, ut justitia observetur. Præstantissimus habitus est, per virtutem nostram indigitatus; hinc non solùm promtum reddit hominem in actionibus, verùm etiam præstantissimum effectum, id est, summum bonum producit.

In virtute latet mediocritas, ab excessu atq; defectu tanqvàm vitiis abhorrens. Medium illud rationis intelligitur, qvô vir prudens affectus moderatur, & omnes actiones ita instituit, ut ne qvid peccet. Ex medio illo rationis facilè perspicitur, cui, & qvomodò irascendum, qvæ voluptates appetendæ, qvę fugiendæ, qvomodò in alios liberalis sis, ne tibi ipsi deesse videaris. Et sic in reliqvis.

Cuili-

Cuilibet virtuti opponuntur duo vitia, excessus atq; defect9. Sic justitiæ est medium retinere in distribuendis opibus, uni plus dare, alteri minus, qvàm par erat, in vitiis ponuntur; ubi excessus atq; defectus facilè se produnt.

Qvi affectus atq; actiones nullum medium admittunt, vel ipsô nomine pravitatem indigitantes, hôc locô removendæ sunt. Ita nemo prudens deliberabit, qvomodò in malevolentia, impudentiâ, in furto, adulterio medium obtineatur.

Qvi verò unam habet virtutem cæteras omnes habet. Positô enim verô prudentiæ habitu, ponantur necesse est omnes virtutes, qvas moderatur prudentia. Contrà positô unicô vitiô, subseqvuntur necessariò omnia vitia.

CAPUT VII.

De Principiis actionum humanarum.

OMnis actio moralis debet esse voluntaria, id est, ex voluntate suscepta, qvæ enim te invitô, aut etiã præter omnem sensum accidit, hûc non spectat. Dicitur aliàs spontanea actio, voce eô sensu extensâ, ut homini tantùm competat. In causis cognoscendis, dum vel præmia decernenda, vel supplicia constituenda, actiones ex suis principiis dijudicandæ sunt. Facilè igitur patet hujus doctrinæ necessitas, & qvàm nullô modò ab illis, qvi coram tribunali sedent, prætereunda sit.

Si qvid invitè actum & in specie per violentiam fuerit, facilè excusatur illa actio, neq; tibi imputatur. Sit servus à domino suo cum pecunia missus ad emendum eqvum, circumveniatur à prædonibus, eripiatur illi pecunia: nulla est justa causa domino accusandi servum.

Alia tunc est ratio, qvando in sese actio qvidem violenta, sub certa tamen conditione est voluntaria. Sint duo Principes inter se bellum gerentes, unus eorum valdè opprimatur, ut ad pacem componendam respicere cogatur; concedit ergò

alteri in præmium victoriæ aliqvot civitates, & ditiones, ne bellum diutiùs ducendò, planè evertat Remp. ſuam. Sine dubio eſt violenta actio, tantum illi elargiri, à qvo magnas injurias accepiſti, eſt ſimul etiam voluntaria, dum à voluntate tua omne agendi inſtitutum proficiſcitur. Imo qvoniam omnis actionis finem tempus menſurat, talis non cenſetur violenta, ſed voluntaria actio.

Violentæ actioni apponitur illa, qvæ per ignorantiam talis cenſetur, qvam ſubſeqvi debet dolor. Puta ſi venator hominem inter frutices latitantem pro fera interficiat, non facturus, ſi ſciviſſet, eſſe hominem. Dictum verò ſubſeqvi actionem hanc debere dolorem, qvò abſente non invita actio vocatur, ſed ad differentiam non-ſpontanea. Cæterùm cùm ab externis tantùm, non internis actibus judicet magiſtratus, aliqvis in foro civili excuſare facilè ſe poteſt, etiamſi per ignorantiam aliqvid non actum fuerit.

Neq; verò omnis ignorantia excuſationem meretur. Hinc furi ſuſpendendò nihil proderit illa excuſatio: ſe neſciviſſe rem alienam eſſe eripiendam.

Anteqvàm verò aliqvid agatur, conſultatione opus eſt. De fine autem nulla ſuſcipitur conſultatio. Qvis enim qværeret, an Rex Galliarum de victoriis, de tot præſtantiſſimis ditionibus ſub ſuam poteſtatem redigendis conſultet, cùm potiùs conſultatio habeatur de mediis, qvibꝰ ad exemplum Alexandri M. ſeſe oſtentare poſſit.

In rebus gravibus ne tuo judicio nimiùm confidas, alii ſimul in conſilium adhibendi. Hinc Principibus ſunt conſiliarii, bene ſuò munere fungentes, ſi ex prudentia, atq; cordato animo ſuggerunt rationes, qvibus certior fiat Princeps, qvomodò vel inſtitutum perficiendum, vel intermittendum. Poſt conſultationem ſeqvitur electio, ut hoc vel illud eligas. Eſt igitur illarum rerum, qvæ ſub tua poteſtate ſunt. Si ſplendidum te exhibere velles, tecumq; conſtituiſſes, huic centum, alteri mille imperiales donare, nihilq; haberes in ære, ridiculus meritò eſſes.

Cap.

CAPUT VIII.

De Fortitudine.

FOrtitudo ut præstantissima virtus jure suô primô ponitur locô. Versatur illa circa res terribiles, qvæ interitum vitæ afferunt, atq; in bello conspicitur potissimum. Vir enim fortis pro patriæ salute mortem oppetere honestissimum & jucundissimum ducit.

Æstimata illa virtus est semper suà dignitate, atq; felicissimum fuit medium commutandi sortem, ac relictà ignobilitate nobilissimum assumendi nomen. Hinc promanarunt insignia, qvæ Germanis Germani Proceres antiqvitus constituerunt. Inprimis Henricus Auceps fuit occupatus in insignibus conferendis, & in virtute fortitudine ornanda extollendaq;. Habet talem virum AUGUSTISSIMUS IMPERATOR LEOPOLDUS à tenui initio, ad summum pervenientem, Comitisq; nomine insignem. Eminet & hodie talis vir, qvem POTENTISSIMUS ELECTOR BRANDENBURGICUS ob prudentiam, artemq; militarem, & fortitudinem summam tantoperè evexit, ut splendidissimum habeat nomen, omnem ducens exercitum. Qvi parentes hodie belli gloriâ præstant, qvoniam tantoperè se æstimari vident, filios vix aliô laudis genere excellere volunt, qvi & ipsi ob præmia proposita promti sunt ad arma capienda, & militiam ineundam.

Fortitudo eqvidem in bello atq; inter arma inprimis conspicitur; aliis tamen modis etiam sese ostendit, imo ubicunq; mors vel periculum vitæ immineat, ibi locum invenit fortitudo. Sit qvi ad sedandos civium turbidos & seditiosos animos, orationem, nullô stipatus agmine, habeat, animadvertat improborum minas; intrepidô autem animô, veritatem, & qvæ salutaria publico statui sint, omni neglectô periculô prædicet, eam tantùm ob caussam, ut honestè agat, ut patriam conservet, hic ex numerô fortium

tium

fortium virorum minimè excludendus est. Qvod enim in bello aliqvis præstat, ut mortem non reformidet, ut pericula qvævis sustineat, idem illud facit in civitate, iniqvos civium motus, prout jam explicatum, opprimens.

Peccat uterq; contra fortitudinem, & qvi majorem, qvàm decet, in rebus formidolosis animum sumit, & qvi ab omni periculo, qvod etiam ipsa honestas imponit, sustinendo abhorret. Prior facta sua grandi sermone effert, anteqvàm hostem videt, de victoria, de præda gloriatur, exiguô numerô vel magnos copias aggreditur, in ipso autem periculo atq; pugna animum dimittit. At posterior ad omne bellum, propter metum, qvô percutitur inidoneus est. Húc spectat ille, qvi alterum qværebat, ubi cor sedem suam haberet, & cùm certior esset factus, respondebat, se planè animosum esse virum, eodem enim motu totum corpus, qvô cor moveri.

Vides etiam, qvàm sæpius sine ratione ad insperatam timiditatem redigantur milites. Dum semel infeliciter pugnarunt, modò de hoste audiant, statim effugiunt, neminiq; ignotum est, qvâm sæpe exigua manus magnas copias metu atq; timore occupatas deleverit. Præsens tempus satis indicat, qvàm rectè hæc dicta sint.

Contra vir fortis omnia ex prudenti ratione agit, & qvando ad arma deventum, acri est animô, moritur libenter, dummodò publica stet salus.

Sunt qvi nomen fortitudinis gerunt, à vera autem fortitudine multùm absunt. Fortes dicuntur cives, qvi præmii spe & pœnæ metu pericula subeunt. Ita ex constitutis legibus erga Regem & Remp. tenetur adversus Regis & Reip. hostes Polonica Nobilitas. Fortes etiam dicuntur etiamsi hosti ex lucri spe sese adjungant, prout de nonnullis ex civibus nostris, Gallorum arma sectantibus constat. Annon idem sentiendum de illis, qvi metûs causâ sub strenuo Imperatore pugnant, pericula sustinentes, hostiq; magnô conamine insistentes? Severa enim solet esse disciplina militaris,

qvi

qvi locum relinqvit, mandatum superioris non accuratè observat, in vitæ incidit periculum.

Sunt qvi ex armorum tractatione fortes appellantur, dum multis velitationibus, & præliis optimô successu interfuerunt, ex sui corporis robore, ac ut unô verbô explicemus, belli peritiâ se victoriam consecuturos opinantes. Sed reverâ fortes non esse inde constat, qvòd periculum animadvertentes majus esse, qvàm ut possit exsuperari, fugam adornant.

Qvi irâ accensi, in pericula ruunt, illi vindictæ cupiditate exstimulati sunt. His similes existunt, qvi iræ impetu in monomachias prolabuntur. Tristissimum verò casum Academia Lipsiensis in Generosissimi Juvenis, *Dn. Jacobi Friderici Maydelii* nefandâ internecione d. 15. Feb. vidit. Hæc Leucoris funestum etiam vidit spectaculum in florentissimo, politissimoq; Juvene *Dn. Johan. Garmers, Hamb.* sub hominum oculis, in hac ipsa doctrinæ, & pietatis sede, gladiô interemtô. Tristem diem 17. Aprilis, qvô non nisi læta adesse debent, appellabit splendida Familia: tristiorem horam, qvæ claudendis vespertinô tempore portis imminebat, unicô ictu vitam eripientem; tristissimum verò casum semper lugebit.

Fiduciam nonnulli concipiunt, qvòd & sæpius feliciter pugnarunt; hinc primô impetu magnâ alacritate aggrediuntur hostem, sed si superior ille fuerit, statim aufugiunt.

Pessimi censendi, qvi adolescentes, juvenes externâ specie jucundâ ad bellum ineundum inducuntur, cognitô autem periculô, illud omnibus modis detestantur. Hôc tempore multos vides, hinc inde fugientes, ut belli periculô liberentur.

CAPUT IX.

De Temperantia.

TEmperantia moderatur voluptates corporis: illæ, qvæ animum spectant voluptates; hic loci non attenduntur. Neq; enim

intemperans eris, ex proprio vocis sensu, honores vel studii doctrinam appetendò, ut ex tua dignitate, & eruditione aliqvando delectationem capias. Sed versatur temperantia circa voluptates, mediocritatem in gustu, atq; tactu observans.

Vix autem in gustu peccari posse videtur, qvoniam gustus propriè de saporibus judicat, ut illi faciunt, qvi vina explorant, & obsonia condiunt. Intemperantes verò non saporum delectatione, sed perceptione ducuntur, qvam totam efficit tactus. Hinc aliqvis obsoniorum gurges ac heluo gruis collô longius optavit: ob hanc etiam causam tactus ita ampliandus est, ut sub se comprehendat gustum, & significet contactum corporeum, qvô illi res jungitur.

Ex qvibus colligitur, duplices esse hominis cupiditates, alias communes & naturales, alias proprias & ascitas. Communes cupiditates excitant, ut aliqvis alimenta appetat, jam humidum, jam siccum, ut appetat conjugium, si est floridâ ætate. Propriæ sunt, qvæ ex pravis moribus atq; vana opinione, & propriis vitiis proveniunt. In his habetur excessus defectusq;.

Nulla capitalior pestis est, qvam intemperantia atq; supra omnem modum corporis voluptas. Hinc ebriositas, hinc stupra, & adulteria nascuntur. Nihil homini à Deo mente præstabilius concessum est; huic autem divino muneri ac dono nihil magis adversatur, qvàm illa intemperantia. Certè qvi illi indulget, omnem rationis sensum amittit & bestiæ similior, qvàm homini videtur. An rationem vel prudentiam adhibebit, qvi ad voluptatem tantùm sese accommodat, ad eamq; omni fertur impetu? Sanè homo non re ipsà, sed nomine videtur.

Magno dedecori Germanis est, per potandi artem consеqvi auctoritatem, & haud rarò magnos honores. Sed graviori vitiò adhuc laborant Itali, qvi sodomiam laudare, qvi potestatem illius exercendæ facere solent. Gallorum venereum exercitium, indeq; derivatus morbus, proprium peperit nomen. Sed multa de his talibus facere verba, non permittit reverentia lectoris.

Qvi

Qvi modum deserunt in voluptate, vix inveniuntur, qvæ causa est, ut peculiari nomine destituantur. Ex superstitionis vanitate abstinent qvidem à carnis esu Monachi nonnulli, atqve omnibus matrimonium ususq; veneris interdictus est, aliqvi claustris suis ita detinentur, ut egredi nunqvàm liceat, adspectuq; seqvioris sexûs hac ratione prohibeantur. Hoc ipsum etiam de virginibus qvibusdam in monasteriis degentibus constat, qvæ per totam vitam, dum semel se sanctitati & singulari pietati, vel potiùs impiissimæ superstitioni devoverunt, ita detinentur, ut neqve ipsum Confessionarium videre unqvàm possint, ne forsan adspectu alienô lædatur cultus divinus. Sed peccatne in defectu temperantiæ utens delicatissimis ciborum generibus, etiamsi carnem non edat? Deficitne ille, qvi magnâ vi & violentiâ detentus, vel etiam pœnæ metu à voluptatibus arcetur, ad qvas magnâ dulcedine, multis illecebris excitatur? In Moralibus unicè spectanda voluntas. Atqvi illi homines voluptatis illecebras sentiunt, illisq; agitantur: ergo pro stupidis ac si omnem negligerent voluptatem, habendi minimè sunt. Ita enim non concludendum: Rem veneream exercere non potes, ergo etiam non vis exercere. Qvæ verô est sanctitas, qvæ pietas, omnes ejicere ex monasterio lapides in qvibus pedes, virgo habitu juvenis incedens, posuerit?

CAPUT X.

De liberalitate & Magnificentia.

VIrtus, qvæ moderamen observat circa divitias, vocatur liberalitas. Nomine divitiarum non solùm venit pecunia, verùm etiam omnia fortunæ bona. Hûc igitur pertinent omnium generum monetæ, qvæ argentô inprimis & aurô exhibentur, qvanqvàm si nostram Rempublicam hodie respicias, non tam argentum, qvàm cuprum dicendum est. An fiat ex ratione

ſtatûs, ut pecunia ad alendum militem, & ad inſtrumenta bellica comparanda, ſuppetat, alii judicent. Hûc etiam annumerantur veſtitus, cibus, potus, rerum poſſesſiones: Liberalis certè eſt, qvi denudatum hominem veſte induit, qvi illi cibum & potum ſuppeditat, qvi inter amicos vel ad uſumfructum agros diſtribuit, vel plenum concedit dominium. Unicô verbô ut rem explicemus, hûc ſpectat nummus, atq; ea omnia, qvæ nummô æſtimari ſolent.

In duabus partibus conſiſtit liberalitas & in dando, & in accipiendo. De priori nullum eſt dubium, in poſteriori difficultas qvædam eſſe videtur. Nuperrimè acriter inter bonos diſputabatur, qvomodò aliqvis accipiendô poſſet eſſe liberalis. Ex una parte dicebatur, qvi honeſtè accipit, decenti modô, & à qvibus decet, illum accipiendò liberalem eſſe: exempli gratiâ, ſi illuſtris vir dono alicui daret centum thaleros, non dantem ſolùm, verùm etiam accipientem centum thaleros liberalem vocandum. Ab altera parte negabatur, hoc ſenſu in accipiendo posſe aliqvem liberalem dici, atq; prorſus aliô modô explicabatur, ut liberalis eſſet, qvi hoc caſu redderet pecuniam. Verumenimverò qvomodò aliqvis dandô poſſet liberalitatem exercere, ſi non adeſſet liberaliter accipiens? Nonne virtus qvælibet cum ſibi oppoſitis vitiis circa unam eandemq; rem verſatur? Qvis autem dubitat inhoneſtè accipiendô avarum excedere, prodigum in accipiendo deficere? Nonne igitur ſeqvitur, honeſtè accipiendô aliqvem liberalem eſſe? Interim non negamus, haud rarò pecuniam reddendô honeſtatem obſervari. Sit tenuis fortunæ homo, qvi opulenti cujusdam hominis labores & operas majore pecuniâ, qvàm ratio contractûs poſtulat, compenſare velit; opulentus verò renuat pecuniam illam, qvæ gratis ultra debitum offertur, accipere. Qvid jam de hoc dicendum? Juſtus potiùs, qvàm liberalis eſt. Juſtitia enim vult, ut ſuum cuiq; tribuatur, ergo juſtus non plus vult accipere, qvàm illam pecuniam, qvæ operæ, ratione contractûs, reſpondeat.

Pulchrius

Pulchrius verò est dare, qvàm accipere. Vides qvàm felicissimum indigentium sit refugium, qui liberaliter confert beneficia, qvantoperè laudetur, qvanta illi habeatur gratia: offert qvi accipit, sua studia, officia, inserviendiq; promtitudinem, promittit preces ad Deum indefessas, ut benefactori, ac posteris ejus omnia prosperè cedant, ut vel centies Deus collata beneficia remunerare velit. Nihil tale de accipiente dicere licet, fungitur ille suô munere sine omni labore satis feliciter accipiendô eô modô, qvô decet.

Sunt qvi videntur liberales, re ipsâ autem non sunt, imo impii potiùs. Galliarum Regis pecuniaria magna est largitio, ut corrumpat Principes, Principumq; Consiliarios; sed ni fallimur, illa liberalitas cum magna impietate conjuncta est. Multæ sine justa causa igne & ferrô devastantur urbes & civitates, pecunia, & qvæ alia mobilia bona hosti cedunt, publicô ærariô exhaustô, civium, subditorumq; opes diminuuntur, diripiuntur: Ergo impietas, non liberalitas est ejusmodi largitio.

Etiamsi autem valdê familiare sit vitium avaritia, & ferme omnes paratiores ad accipiendum, qvàm dandum existant; senibus tamen peculiariter illud adscribitur. Vident se corporis robore infirmos, inidoneos ad rem comparandam, hinc vel obolum ter manu vertunt, & custodire, qvàm rebus necessariis impendere malunt. Adhùc vitiosiores, si ex aliorum damno lucrum qværere præsumunt.

Liberalitati affinis est magnificentia, nisi qvod hæc, ut nomen indicat, non qvasvis facultates & opes sibi vendicat, sed magnas & qvæ magnum virum decent.

Virtute magnificentiâ summoperè laudandus POTENTISSIMUS ELECTOR SAXONIÆ, PATRIÆ PATER & CLEMENTISSIMUS, & BENIGNISSIMUS. Ostenditur illa in eruditorum ordine extollendo, & religione oppresfis, exulantibus, magnificentissimè elargiendo: In conservandam pacem, & tranqvillitatem, qvanti sumtus impendantur, totus orbis loqvitur: Legati Princi-

pũ vel ex remotiſſimis terris advenientes deprædicare neceſſe habent illam magnificentiam, qvæ efficit, ut & apud exteros in verum veri Dei cultum erigantur templa. O ſingularem Principem & Dei beneficiô ac munere datum! Præclarũ illud palatium, in qvo habitatur, plenius dignitatis qvotidie redditur: Hoc exemplum, hoc laudabile Principis factum imitantur illuſtres & ſummi viri, ipſi ædificantes & exſtruentes domos, ſumtus, qvi magnificentiâ digni ſunt, impendunt. Certè Dresda urbs, Electoralis ſedes ob ſplendorem ædium marmorea tota, ut ita loqvamur, eſſe videtur.

Magnificentiæ opponitur luxuria & ſordities. Concipe aliqvem, qvi in res indignas & modô incongruô ſumtus conferat magnos, luxurioſum habebis: Finge, qvi operibus magnis ſplendidos detrahat ſumtus, ſordidum invenies.

CAPUT XI.

De Magnanimitate & Modeſtia.

MAgnanimitas, ut nomen ſatis indicat, exiles atq; exiguas res deſpicit, illas ſub ambitu ſuo habens, qvæ magnæ ſunt. Nullum autem externorum bonorum melius atq; præſtantius eſt, qvàm honor ſeu dignitas: Non enim inconveniens eſt dicere, alium opes & facultates appetere, alium ſummi ducis imperium, propter honorem. Qvarè ſpecialiter circa honorem verſatur magnanimitas.

Complectitur hæc virtus omnes alias virtutes, modò obſervetur, qvòd ea vult ſuſtinere, qvæ aliis admirationi ſint. Itaq; mortem præ fuga eligit magnanimus vir, in beneficio conferendo magnificum ſe exhibet, lubentiùs dare, qvàm accipere ſolet, melius eſſe judicans, ut alii ſibi obligati ſint, qvàm ut ipſe aliis obligatus ſit: hanc ob cauſam etiam accepta beneficia majore menſurâ reddere ſtudet.

Prætereà magnanimus neq; rebus ſecundis nimiùm lætatur, neq;

neq; adversis animum amittit: injuriæ facilè obliviscitur;ex vestitu,ex habitu, gestuq; corporis, & consimilibus aliis ornatum sibi qværit.

Obtinet qvidem ex vitio temporum, ut qvi possidet opes, qvi nobili locô natus, facillimum ad summos perveniendi honores habeat viam: Sed si verum dicendum,sola virtus honores meretur. Qvod si verò divitiæ,& nobilitas generis, & propria virtus in aliqvo conjunguntur, ille omnibus admirationi est, in illum omnes conjiciunt oculos, reverentiam suam,qvoties occasio fert, exhibentes.

Peccat in excessu superbia, in defectu pusillanimitas. Qvantoperè verò Principibus noceat aperta superbia, id suô exemplo docet Julius Cæsar, prima potiùs fundamenta Monarchici statûs ponens,qvàm ut ipse esset Monarcha; dum enim superbum Dictatoris nomen asserit, se valdè odiosum Populo Romano fecit,posteaq; in curia tribus & viginti vulneribus ad terram datus est. Forsan utroq; vitiô laboravit Wallensteinius ex partibus Cæsareis administrans militiam: Jam enim planè recusabat præfecturam Cæsarei belli,jam receptam majore,qvàm conveniebat vi, exercebat: imò tanta posteà moliebatur, ut crimen læsæ Majestatis incurreret. Multi subscribebant Duces, sed res ad aulam deveniebat,atq; celeri medelâ opus esse statuebatur: Qvapropter Lesleus,Scotus natione, cui negotium concreditum,Egeram proficiscitur,Duces se vinô & epulis ingurgitantes,occidebat, ipsum Wallensteinium cum ex lecto præ tumultu exiliisset hastâ(Germanicâ lingvâ Partesan)percutiebat.

Qvomodò magnificentia à liberalitate distingvitur, eadem etiam ratione magnanimitas à modestia distinctionem accipit. Magnanimitas enim circa magnos, modestia circa tenues honores versatur.

Modestia,eô modò, qvô decet, expetit, vel fugit honores. Itaq; modestus, dum ex conscientiæ testimonio idoneus est, qvi hoc vel illud munus conseqvatur, Reip. administratoribus se offert

fert: si verò imparem se sentit, vel delatum etiam honorem decenter recusat.

Vituperatur ambitiosus. Sunt qvi Doctoris titulô ornati hinc inde domum redeunt, de doctrina parùm soliciti, contenti satis novô honore. Sed nolumus in præsentia, qvæ calamus suggerit, scribere. Vitiô autem non caret, novos titulos qværere, atq; tam ambitiosos, ut cum munere vix conveniant. Prudentes contrà non ex nudo nomine, sed ex rei veritate æstimant dignitatem.

Porro non laudatur, qvi abjectô est animô, honorem, qvem optimè meretur, rejiciens. Sit qvi rerum Theologicarum accuratam habeat notitiam, ejusmodi muneri præsit, qvod Doctoris nomine dignum censetur, prætendat verò ingenii tenuitatem, ille nimiùm amat modestiam.

CAPUT XII.

De Mansvetudine.

QVæ iræ mediocritatem observat virtus, vocatur mansvetudo, qvanqvàm ex nativo sensu ad defectum aliqvantulum inclinat vox, tamen usus sermonis laudatam mediocritatem indigitat.

Non jucundô semper potest aliqvis esse vultu; qvandò gravis nobis accidit molestia, irascendum est, sed ita, ne peccetur contra mansvetudinem. Qvis enim patriæ proditori, qvis parricidæ, qvis amicorum nostrorum inimico non irascendum putet?

Multùm differunt ira atq; iracundia. Illa est affectus atq; motus: Hæc propensio ad iram. Sicut ebrius vocatur, qvi nimiùm potu est repletus, ebriosus verò, qvi ad ebrietatem propensus, etiamsi actu non sit ebrius: ita iratus appellatur, qvi actu ipsô irascitur, iracundus autem, qvi ad iram inclinat, licet actu ira absit. Adde, qvòd ira in se spectata, neq; laudanda, neq; vituperanda sit; contrà iracundia ex natura sua vitium involvat.

Ultrà,

Ultrà, qvàm decet, progreditur iracundus, id qvod fit triplici ratione: Primùm excandescentiâ, qvando citò irascitur, citò verò placabilis existit: Deinde acerbitate, qvando tardè ad iram excitatur, excitatus verò iram fovet, attamen placabilis existit: Tertiò atrocitate seu sævitiâ, qvando gravissimè irascitur, nec nisi per atrocem vindictam placabilis redditur. Excandescentia sangvineis, acerbitas cholerico-melancholicis, atrocitas cholericis competere videtur.

Deficit à mediocritate, qvi omninò non irascitur, licet justissima adsit irascendi causa: hinc oritur vitium lentitudo.

CAPUT XIII.

De Virtutibus Homileticis: Humanitate, Veritate, Urbanitate.

UT aliis rectè placeas in vitæ qvotidianæ consvetudine, in sermonibus & actionibus seriis, docet virtus humanitas. Atqve dum humanus vir neminem sine justa causa offendere vult, non negligit personarum respectum. Qvòd si cum superioribus conversatur, sua officia, sua servitia offert; si cum æqvalibus, familiaritate se insinuat; si cum inferioribus, popularitatem cum temperamento gravitatis miscet. Ita aliter cum noto aliter cum ignoto conversandum esse putat.

Sunt qvi in omnibus rebus placere student, cum negantibus negant, cum affirmantibus affirmant, atq; dum ita ad alterius voluntatem se planè accommodant, blandi vocantur; qvòd si utilitatem simul, uti parasiti spectant, adulatores, assentatores vocantur.

Contrà morosi in omni re adversantur, in contendendo pugnaces ac pertinaces sunt: Illud genus hominum vel levissimô verbulô offenditur, & ad rixas, jurgia, verbera descendit.

Circa verum observandum virtus occupata est, qvæ dicitur veritas. Non autem in verbis solùm apparet, sed etiam in factis. Ergo veritatis amator ita se gerit, ne veritatem offendat.

Arrogans ea, qvæ non habet, aut plus, qvàm decet & convenit, sibi tribuit. Sit aliqvis omnibus opibus denudatus, vivatq; pauperrimus, multa verò loqvatur de suis divitiis, qvas possideat; hic non immeritò in arrogantium numero ponitur.

Sæpe fit, ut avaritia, vel etiam superbia concrescat cum arrogantia. Ita medici circumforanei lucri causà de se inania jactitant: Ita nonnulli suas ingenii dotes ad majorem gloriam conseqvendam, ultrà qvàm decet, deprædicant. Arrogans autem in se spectatus, neq; superbus, neq; avarus est, sed tantummodò delectatur suis mendaciis.

Dissimulans omnia sua bona diminuit: si satis eruditus & præstans literis est, se ignorantem profitetur.

Nonnunqvàm verò in dissimulatione concurrit jactantia. Sit veterator, qvi dissimulet sua bona aperta satis atq; manifesta: hæc dum dissimulat, ea etiam sibi arrogare videtur, qvæ non habet.

Urbanitas in jocando modum observat. Non seriis semper & gravibus animus intentus esse debet, sed qvandoq; jucunditate afficiendus, ut homo vel loqvatur vel audiat jucunda.

Omnia in honestate atq; decore ponit urbanus, animadvertens cum qvibus in consociatione vivat, & pro temporis ratione omnia instituens.

Sunt autem nonnulli, qvi modum excedunt, scurræ appellati, id unicè agentes, ut risum moveant, etiamsi honestas negligatur.

Contrà modum deserunt, qvi rustici nominantur, neq; jocari, neq; jocos aliorum honestos placidè excipere idonei. Qvòd si Gallus cum Hispano converserur, vix ille hunc rusticitatis vitiò eximet.

CAP.

CAPUT XIV.

De justitia, & Jure.

Duplex est justitia, una universalis, omnem comprehendens virtutem, atq; ad socios in vita civili dirigens; altera particularis, qvæ rectè distribuere, rectè commutare docet. Hinc duplex statuitur justitia particularis, alia distributiva, alia commutativa.

Ex respectu personarum, atq; proportione Geometrica dispensat justitia distributiva. Sit Duci belli, sit Legato, sit Chiliarcho, & Centurioni salarium constituendum, ex personarum merito atq; dignitate cuilibet conferendum. Sit ad belli onus sustinendum ex privatorum bonis magna pecuniæ summa colligenda, nonne, qvô qvis plus in bonis, præsertim immobilibus habet, eò plus contribuere tenetur?

Sine respectu personarum ex proportione Arithmetica rem rei reddere æqvalem nititur justitia commutativa. Sit Tityrus ovium pastor, sit Melibœus subulcus, oves atq; sues inter se commutantes: subsumitur ex proportione: sicut se habent qvinq; ad unum; ita se habent oves ad sues. Ergo Tityrus in commutatione qvinq; oves, Melibœus unum suem dare debet.

Sed qvomodò res rei redditur æqvalis ex proportione Arithmetica, dum ex rerum æstimatione commutatio instituitur? Respondetur, distingvendum esse inter exæqvationem, atq; æstimationem rerum: Illic proportio Arithmetica, hic Geometrica obtinet; & qvando jam semel de pretio rei constat, justa est commutatio, dum uterq; tantum accipit, qvantum dat.

Ex justitia commutativa etiam pœnæ irrogantur; & si pecuniaria satisfactio ob gravitatem delicti locum non habet, corpori pœna est infligenda. Sit Antonius, committat ex suscepto consilio, destinatoq; animo homicidium, in scelere deprehendatur, atq; comprehendatur, offerat pretium pro expiando scelere;

Magiſtratus recuſabit accipere pecuniam , ſangvinem ſangvine expiandum cenſens.

Juſtitiæ opponitur injuſtitia , tam qvoad exceſſum, qvàm defectum, atq; in una actione utrumq; vitium latet. Sit, ut ſub exemplo loqvamur, diſtributor aliqvis, dum uni plus bonorum, qvàm conveniat, elargitur, alteri minus det, neceſſe eſt.

Juſtitiam circumſcribit jus. Qvod enim juri reſpondet eſt juſtum, qvod non cum illo convenit, injuſtum ſtatuitur.

Dividitur jus in Politicum atq; Oeconomicum. Illud ſimpliciter ita vocatur: hoc ſecundum qvandam ſimilitudinem. Copulat enim jus Politicum homines perfectos, & qvæ civis civi præſtare debeat officia, docet; qvomodò etiam cum peregrino converſandum , & qvantum illi debeatur, inculcat. Sed Oeconomicum jus conjungit homines inæqvales; cùm paterfamilias cæteris perſonis tanqvàm caput membris ſuis præſit.

Jus Politicum autem aliud Naturale eſt , aliud Legitimum. Naturale dicitur, qvod ubiq; gentium eandem vim obtinet, non qvòd ita vel decretum ſit, vel non decretum. Ita ubiq; honeſtè vivendum eſt, nemo lædendus, ſuum cuiq; tribuendum. Hoc igitur immutabile prorſus ſtatuitur, & licet protervia hominum illud corrumpat, nunqvàm tamen ex injuſto facto, juſtum fiet. Legitimum vocatur, qvod ab initio hôc an illô modô fiat, nihil refert; cùm verò conſtitutum fuerit, tunc demum refert. Illud jus proficiſcitur ab eo, qvi ſummum habet imperiũ. Qvarè in Monarchico ſtatu à nemine niſi à ſolo dependet Principe. Cogita tot Regna, qvæ orbis habet, & videbis pro mera voluntate leges à Regibus promulgari. In Ariſtocratia Optimates conficiunt leges. Præſtantisſimam talem formam exhibet ſtatus Venetus, qvi per tot annorum ſeriem robuſtus ſtetit. Si forſan mixtura occurrit regiminis, pro illa mixtura poteſtas conficiendi leges temperanda eſt. In Romano-Germanico Imperio elucet Majeſtas Imperatoria, conſpicitur Statuum auctoritas dignitasq; : ergo ſponte ſeqvitur in lege conficienda reqviri Imperatoris Statuumq; conſenſum.

Juri

Juri affinis est æqvitas, emendationem legis, qva in parte illa ob generale suum pronunciatum deficit, continens. Ob hanc causam dicitur, non verba, sed sensum legis esse spectandum. Qvòd si enim simpliciter inhæreas verbis, & nudè ita prout sonant, accipere velis, fieri potest, ut summam alteri injuriam inferas, atqve astuti & callidi hominis nomen merearis. Prudentes contrà omnes circumstantias perpendunt, potissimùm in qvem finem lata lex sit, inqvirentes.

Nonnunqvàm æqvitas significat illam interpretationis partem, qvæ ad leniora tendit, atq; potiùs de suo jure aliqvid remittit, qvàm ut rigori juris insistat. Est hæc utilissima in vita humana ratio; qvando enim ad rabulas forenses deventum, tunc larga litigandi materia suppeditatur. Qvid inde? Substantiâ bonorum, de qva lis suscepta est, deperditâ, pacem amant clientes.

Qvodnam sit juris oppositum facilè patet, ex injuria qvippe enascitur aliqvis injustus; ergo injuria pro oppositô habetur. Hûc spectat tritum illud, circa vitiosam juris interpretationem, sermone proverbium: summum jus, summa injuria.

CAPUT XV.

De Continentia & Tolerantia.

JAm de virtutibus imperfectis agendum est. Anteqvàm datur habitus præcedunt dispositiones, qvæ ita informant hominem, ut aliqvando perfectionem conseqvatur. Hinc constat, tot esse virtutes imperfectas, qvot sint perfectæ. Qvi ex virtute liberalitate promtè agit, in illo necessariò præsupponitur, ut sæpius cogitaverit de rectè elargiendo atq; per dispositionem habitum in rectè dando sibi acqvisiverit. Fortis dicitur aliqvis, sed qvomodò? Non dum semel invictum adversùs pericula ostendit animum, verùm qvoniam jam ita exercitatus est, ut ex honestatis ratione nihil, neq; ipsam mortem timeat. Distingvitur itaq; dispositio laudabilis à laudabili habitu.

Si verum dicendum, videntur omninò plures homines hàc ratione esse imperfecti, qvàm perfecti: in pluribus enim tantùm insunt semina atq; initia virtutum, pauci in possessionem perfecti habitûs admittuntur.

Non opus autem est, magnum numerum imperfectarum virtutum efficere, atq; dum affectus est vel bonus, vel malus, sufficiet constituere continentiam atq; tolerantiam, ut illa circa bonum, hæc circa malum affectum versetur.

Continentia simpliciter sine additamento indigitata significat semitemperantiam, & illam dispositionem, qvam indigitavimus.

Sit juvenis, sentiat veneris stimulos, subjiciat illicitum appetitum rectæ rationi, hic continens vocatur. Qvomodò talis à temperanti distingvatur, manifestum est: temperans enim nullum habet inordinatum appetitum, qvem verò experitur continens.

Cum apposito vocatur continentia lucri, honoris, & iræ, hinc semiliberalitas, & semimagnificentia, semimodestia & semimagnanimitas, semimansvetudo enascuntur.

Excessus duplex occurrit, & infirmitas & præcipitantia, prout vel spatium deliberandi in actionibus datur, vel non datur.

Similis est ratio in aliis semivitiorum generibus. Qvis dubitat Romanum Consulem, Ciceronem, jam partes Cæsaris, jam Pompeji sectantem, ut aliqvod nomen haberet, infirmô fuisse animo? Qvis negat Alexandrum M. in Clyto occidendo ex præcipitantia egisse?

Sed, si verum dicere volumus, præcipitantia actionem moralem, id est, voluntariam non constituit.

Multùm enim interest, an affectuum vi & subitô motu aliqvis abreptus fuerit, an susceptô consiliô egerit.

Defectus nomine caret; cùm enim continentia potissimùm ad temperantiam restringatur, & vix homines dentur, qvi circa veneris vel gulæ voluptates deficiunt, non opus est, peculiare aliquod excogitare nomen.

Cap.

CAPUT XVI.

De Virtute Heroica.

VIrtus Heroica addit perfectiorem illustrioremq; gradum, indigens peculiari Dei cooperatione ad res magnas perficiendas.

Non jam nova virtus atq; distincta specie à cæteris proponitur, sed gradus saltem discrimen constituit; ita fortitudo heroica datur, heroica temperantia, atq; sic deinceps, nisi qvòd in homileticis ineptum videtur gradum heroicum qværere velle.

Inprimis conspicitur virtus heroica in fortitudine, unde ejusmodi heros omnibus summæ admirationi est, atq; tanqvàm Deus æstimatur. Hûc referuntur *Otto M. Constantinus M. Carolus M.*

Opponitur huic virtuti tam qvoad excessum, qvàm defectum feritas, qvæ aliô nomine bestialitas, immanitas vocatur, qvoniam, qvi feritate laborat, nomine, non re ipsâ homo esse videtur. Ita fera dicenda Tullia Tarqvinii superbi uxor, qvæ super cruentum patrem vecta carpentô, consternatos eqvos egit. Ejusmodi Gallo illi Labrossa hodie inest feritas, qvi tanqvàm omni ratione destitutus suâ sævitiâ grassatur in sacras ædes, in tot nobilissimas arcium structuras.

CAPUT XVII.

De Amicitia.

QVoniam triplici modô excitatur amicitia, vel honestatis ratione, vel voluptatis, vel commodi; hinc triplex constituitur amicitia, ut alia sit honesta, alia jucunda, alia utilis.

Inprimis nominari meretur amicitia honesta, qvæ mutuâ nititur benevolentiâ, cùm reliqvas dirigat sperata tantùm vel voluptas, vel utilitas. Neq; tamen ab honesta amicitia bonum jucundum &

dum & utile removendum; Mille enim jucunditates vera parit amicitia, & sine fideli vitæ socio, qvi alter idem est, molestam & miseram esse vitam putat: operam suam studiumq; in alio adjuvando promtissimè & pollicetur & præstat. Sed hæc non intendit primùm honesta amicitia, etiamsi sponte suâ subseqvantur. Porro honesta amicitia virtute tanqvàm firmissimô fundamentô nititur: non alium intimâ benevolentiâ complectitur honestus vir, nisi qvem probum ex longa consvetudine bene perspexerit; ut verum illud esse videatur, multos modios salis simul edendos esse, ut amicitiæ munus expleatur. Qvemadmodùm verò virtus ipsa feliciter perdurat: ita ejusmodi amicitia, qvæ virtutem pro genitrice habet, permanet, constantiam vel in maxima rerum asperitate amans.

Horum omnium contraria in reliqvis amicitiis deprehendere licet. Jucundam enim utilemq; amicitiam sola efficit voluptas atq; commodum: Hinc severa frons amicitiam dejicit, & qvi fortunis alicujus inductus amicitiam ejus seqvitur, simul ac fortuna dilapsa est, devolat ipse.

Ejusmodi fucatæ amicitiæ plures dantur, qvàm veræ. Laudatur valde, qvi in civili vita jucundos æmulatur mores, qvi sua jucunditate & svavitate sese ubiq; insinuat, ludos & jocos excitans. Opulentus, modò admittere velit amicos, obvios magnô statim numerô habet. Qvid inde? Deficientibus opibus deficit amicitia.

Ex respectu personarum primò alia est amicitia æqvalis, alia inæqvalis. Æqvales sunt viri ejusdem collegii; ordo enim ratione præcedentiæ augere dignitatem non potest, nisi qvòd præcedentia reverentiam qvandam efflagitet. Inæqvalis amicitia est ratione imperantium atq; parentium. Inter Regem atq; subditos est amicitia qvædam. Ille enim non qværit suam, sed publicam utilitatem, circumspiciens bene, ne ulla ex parte subditorum salus jacturam faciat. Deinde alia datur Civilis, alia Oeconomica amicitia: Illa cives; Hæc domum copulat, qvò major verò identitas sangvinis in Oeconomica reperitur, eò major censetur benevolentia; Ergo discrimen sortiuntur fratres germani, consangvinei, uterini.

CAPUT I.

Epicuri Laus.

PRodit in medium loqvens Epicurus Philoſophus nobiliſſimus, cujus admirabili doctrinâ non ſolùm Græci & Itali, verùm etiam barbari commoti ſunt. Ita verò philoſophabatur, ut nihil cognitione dignum cenſeret, niſi utilitatem qvandam vitæ humanæ præſtaret. Qvid enim prodeſt illa ſapientia, qvâ de telluris magnitudine, de cœli qvantitate cogitas, rerum omnium naturalium vires, vices, qvalitates, mente percurris, abſente illô fine, qvi beatæ vitæ diſciplinam adjuvat? Habent ſuam dignitatem atq; auctoritatem ex aliis perceptam doctrinam qvi proponere, præceptorisq; ſententiam explicare & defendere poſſunt. Qvantoperè ergo lucebit illud ſydus, qvod non alienâ, ſed propriâ radiat luce, qvod non aſcitum, ſed innatum habet lumen? Hæc eſt cauſa, qvarè divinus vocetur Philoſophus Epicurus, & cum præſtantiſſimis qvibùsq; conferatur. Ejus graviſſimæ, beatæ vitæ inſtituendæ, ſententiæ, qvaſi oracula æſtimabantùr, & memoriæ ut imprimerentur, ſedulò agebatur. Deum tanqvàm principium actionum humanarum conſtituebat, colebat. Hoc ipſum de ſanctitate, de pietate adversùs Deum libri ſcripti teſtantur; idem approbat cœleſte illud de regula & judicio volumen. Si qvæ vana, falſa, & fictitia adjecta, hæc in ſolidum cæcitati gentilitiæ tribuenda ſunt. Chriſtianum enim eſſe oportet, qvi de ſanctiſſimo illo Numine rectè atq; piè cogitare, loqvi, & ſcribere vult.

CAPUT II.

Voluptatem eſſe ſummum bonum.

QVod ad nullam aliam rem, ad id autem res referuntur omnes, eſt ſummum bonum, vocaturq; aliàs extremum & ultimum.

Nulla alia in re, qvàm voluptate illud consistit. Hoc enim bonum ex sensu statim dijudicatur, neq; opus habet demonstratione: sed uti ignem calidum, aqvam frigidam, mel dulce esse ipse tactus approbat: ita qvoq; summum bonum ex natura sua constat. Annon enim homo, qvando in lucem editur, illa vult & perseqvitur, qvæ voluptatem afferunt? Nonne voluptatis sensu tangitur, anteqvàm intelligat discrimen honesti & inhonesti, rem unicè ex appetitu sensitivo dijudicans? Inest etiam homini naturalis qvædam notitia, qvâ cognoscat, qvid appetendum sit, qvid voluptatem pariat. Ita nemo est, qvi dolorem in deliciis ponit, nisi magnam aliqvam consecuturam voluptatem opinatur. Omnis labor respicit aliqvod commodum, & nemo vituperatur, qvi voluptatem perpetuam appetit cum nulla molestia conjunctam, neqve qvi rejicit dolorem, qvem nulla subseqvatur voluptas.

Sed qvi voluptatum illecebris captus non animadvertit futuros dolores, & molestias, ille imprudentiæ meritò accusandus est. Cogita hominem libidinosum, suâ nefandâ vitâ conscientiæ cruciatus, atq; Magistratûs publici pœnas sibi accersentem.

Qvando igitur in nostra potestate sita est electio, neq; causa subest, qvarè id, qvod jucundum videtur, negligamus, eligendum semper id, qvod jucunditatem, & respuendum id, qvod molestiam affert; qvando verò incidunt tempora, & officia, & necessitates obveniunt, ut molestias suscipiamus, tunc voluptates repudiandæ sunt. Si tibi civi primario libera optio daretur, nihilq; obstaret, qvò minus pulcherrimam jucundissimamq; virginem à clarissima stirpe oriundam in matrimoniũ duceres, omnino illa ducenda est: si verò Tyrannus, qvi milite obsideret civitatem, hanc necessitatem injungeret, ut ad liberandam patriam cum horrida, atq; sqvalida, & tuæ dignitati minimè conveniente matrimonium inires, omnino voluptas repudianda est, & molestia perferenda. Forsan enim si aliter feceris, & tibi, & civibus pereundum esset.

Duplici ſenſu dicitur voluptas, qvarum una in motu ſita eſt, altera in ſtatu & qviete ponitur. Illa cum ſvavitate affluit ad ſenſus, puta ſi aliqvis gulæ, & veneri operam dat: hæc expellit omnem moleſtiam, omnem dolorem. Jam non intelligitur voluptas illa delicata & mollis, qvæ aliàs ipſum corpus reſpicere dicitur: verùm ſevera potiùs, qvæ ſedatum efficit animum, ab omnibus turbis immunem nulliq; dolori obnoxium. Habet ſitiens in bibendo voluptatem, habet etiam voluptatem, qvi reſtinxit ſitim: illa in motu eſt; hæc ſtabilitatem voluptatis dicit.

Inter dolorem & voluptatem nullum datur medium. Eſt enim aliqvis aut beatus, aut infelix, & qvi nullam ſentit moleſtiam aut dolorem, ille non modò habet voluptatem, ſed etiam ſummam voluptatem.

Uti vero ſummum bonum ſecundum exiſtentiam vulgaremq; loqvendi modum gradus admittit, non ſecundum eſſentiam, atq; ſi accuratè loqvi velis: Ita etiam variat diſtingviturq; pro diverſis hominibus; nihilominùs vera qvæ eſt voluptas, ſumma cenſetur, omnem accretionem reſpuens.

Pervagatur voluptas omnes temporis rationes. Præterita jucundâ recordatione tenet, præſentibus fruitur, rebusq; expectatis capitur.

Qvòd ſi adverſa homini, qvi fruitur ſummo bonô contingunt, magnitudinem doloris celeritate, longinqvitatem illius lenitudine ſolatur, ut nihil tali inſit, qvod vel metum, vel terrorem incutere poſſit. Contrà infelix homo doloribus opprimitur, ex nulla temporis ratione ſolatium capiens.

Sunt animi voluptates multò majores, qvàm corporis. Corpus illud tantùm ſentit, qvod adeſt, qvodq; præſens eſt; animus & præterita & futura. Licet enim utrinq; æqvalis adſit voluptas, valde tamen augeri poteſt, ſi æternum infinitumqve concipiatur bonum, ut eò plenior ſit voluptas; ſi omnis metus abeſt.

Voluptas ex duobus componitur bonis, ut animus ſine perturbatione; corpus ſine dolore ſit, atq; ita qvidem, ut omni moleſtiâ detractâ plena fuerint, minimè creſcant: qvò enim creſcat, qvod plenum ſit? Si corpus omni dolore caret, qvid accedere ad hanc indolentiam poteſt? Si animus conſtat ſibi, placidusq; eſt, qvid accedere ad hanc tranqvillitatem poteſt? Qvemadmodùm ſerenitas cœli non recipit majorem adhuc claritatem, in ſinceriſſimum nitorem repurgata; ſic hominis corpus, animumq; curantis, & bonum ſuum ex utroq; nectentis, perfectus eſt ſtatus.

CAPUT III.

Virtutes eſſe, qvæ voluptatem pariunt.

NOn otioſæ, ſed negotioſæ ſunt virtutes, corporis enim dolores pellunt, animiq; tranqvillitatem conſtituunt, ac ut unô verbô rem explicemus, virtutes ſunt, qvæ in nobis efficiunt voluptatem.

Habent artes hoc proprium, ut à ſuo opere laudentur, prout Medicina à curatione laudes ſubit. Nullus verò expeteret virtutes, illasq; coleret, niſi inde ſentiret maximum illud commodum, ut corpori & animo benè eſſet.

Corporis curationem ſuſtinet temperantia atq; fortitudo. Ex intemperantia proveniuut morbi, ut variè affligatur corpus; ergo oppoſita virtus erit, qvæ leviores reddat morbos, qvæ ipſum corpus curet. Dum verò ex neceſſitate qvadam perferendi dolores, fortitudo jubet, ut animus ſemper excelſus maneat, & dolor in longinqvitate levis, in gravitate brevis concipiatur. Ergo ſapiens in Phalaridis licet tauro peruratur, exclamabit tamen: Dulce eſt, & ad me nihil pertinet, uror ſed invictus: ultimum qvando agit diem, & vel maximis corporis doloribus torqvetur, nihilominùs beatiſſimum diem deprædicabit.

Animo

Animo medicinam adhibet Philosophia ; qvâ qvi excultus est, in seipso omnia habet bona, nihil timet, expulsisq; erroribus, se liberum esse sentit.

Qvò verò gravior est animi, qvàm corporis morbus, eò difficilior est curatio. Laboranti corpori subvenire nititur animus, ut medicinam faciat valdè solicitus : sed oppressus vitiis animus difficulter erigitur. Animus prætereà in longinqvum dirigit cogitationes, mille sibi fingens mala : corpus ad præsentia tantùm sese accommodat.

Nonne autem ille, qvi immensâ & inani cupiditate appetit divitias ; gloriam, dominationem, venereas voluptates, infelix dicendus est ? Nonne homo insipiens dum præterita mala semper in memoriam revocat, atq; ægritudinibus, molestiis, mœroribus conficitur, omni privatur voluptate ? Nonne qvi mortem timet, qvi de divino cultu varia non sine timore sentit, inqvietum turbidumq; habet animum ? An ille beatus dicendus, qvi bona præterita non recordatur, præsentia negligit, futura, qvæ incerta sunt, incertumq; animum reddunt, sperat ? Qvid porro colligendum, qvando maximi cruciatus subseqvuntur, qvando eventus docet frustra labores esse susceptos, frustra imperia, opes, gloriam magnò studiò esse qvæsitam ? His tantis malis Philosophia medicina reperitur, ut nulla adsit ægritudo, molestia, metus, neq;, si forsan animum invadant, tanqvàm è præsidio dejiciant. Medicina verò qvæ adhibetur à Philosophia sunt virtutes, à prudentia seu à ratione profectæ.

CAPUT IV.

Virtutes generatim recensentur.

VIrtus omnis vel dirigit, vel dirigitur ; ad prius genus refertur prudentia, ad posterius temperantia, fortitudo & justitia. Ergo qvatuor sunt virtutes, qvæ sedatum atq; tran-

qvillum animum reddunt, omnem tam à corpore, qvàm animo molestiam removentes, ut subseqvatur felicitas seu voluptas.

Prudentia est ipsa recta ratio, seu rectæ rationis dictamen, qvô qvis & se, & alios regere aptus est. Dicitur aliàs sapientia; hinc oppositum enascitur insipientia, ignorantia, stultitia. Temperantia & fortitudo moderatur affectus, qvi in ipso homine latitant; dum enim cupiditas subjicitur rationi, temperantia, atqve dum metus expellitur fortitudo resultat. Justitia est ejusmodi virtus, qvæ ad alium refertur, pro opposito habens malitiam, qvâ qvis ad defraudandum alterum pronus est. Sicuti autem ex accidenti fit, ut affectuum vi aliqvis abreptus imprudenter agat: ita contingit, ut ex ira, odio, aut alia passione, injustus sit.

Conjunctæ verò sunt cæteræ virtutes cum prudentia. Qvomodò enim aliqvis temperanter, fortiter, justè atq; unô verbo, honestè vivet, nisi polleat prudentiâ? qvomodò ad honestatem omnia redigentur, absente duce prudentiâ? Neq; ipsa prudentia sine reliqvis virtutibus existit. Ergo subsumendum hunc in modum: Non posse temperanter, fortiter, justè vivi, nisi prudenter vivatur; nec prudenter, nisi temperanter, fortiter, justè.

Inde simul colligitur indissolubili nexu omnes inter se virtutes cohærere, ac positâ unâ virtute, simul poni omnes. Neq; enim prudentia tanqvàm caput sine suis membris, id est, cæteris virtutibus datur; neq; voluptas seu summum bonum sine virtutibus. Est enim sapienter vivere nihil aliud, qvàm jucundè vivere, & reciprocô sensu, jucundè vivere nihil aliud, qvàm sapienter.

Neq; verò propter necessariam virtutum cohæsionem virtutibus vitiisq; æqvalitas tribuenda. Potest enim aliqvis ad fortitudinem exercendam paratior esse, qvàm ad temperantiam; sæpe etiam aliqvis alium virtute superat. Ob hanc causam inæqvalia decernuntur præmia; cùm major virtus jure suô majus sibi præmium vendicet. Ex opposito qvò majora sunt vitia, eò majores decernendæ pœnæ: Ergo qvi magistratum verberat majorem incurrit pœnam, qvàm si aliqvid tale in plebejum hominem committeret.

Ab-

Abeant nunc, qvi voluptatem illam delicatam atq; mollem ad ſenſus tantùm cum multa ſvavitate perfluentem laudare ſolent. Sincera, honeſta noſtra voluptas eſt; nihil vitii, nihil deteſtandæ libidinis continens, nihil mœroris afferens: A virtutibus oritur, in virtutibus acqvieſcit. Virtutes igitur ſunt medium acqvirendi felicitatem, ſunt fundamentum, cui felicitas innitatur. Et qvomodò ego Epicurus in turpi illa voluptate collocarem ſummum bonum? Nonne panis atq; aqva ad cibum & potum mihi ſufficiunt? Nonne ſanitatem hôc vitæ inſtitutô optimè conſervo, atq; ad res agendas idoneus ſum? Hinc igitur fit, ut indigentiæ naturæ ſuccurrens, ſummam percipiam voluptatem; atq; adverſus invidam fortunâm excelsô ſim animô. Qvòd ſi ex intervallo lautiore utor cibô, meliùs afficior atq; recreor.

Qvod deniq; notandum eſt, non ab omni affectu ſapientem virtutes eximunt. Accidat mors parentis, aut amici, ſalus publica magnum patiatur detrimentum, vel ipſam perniciem. Hi caſus faciunt, ut doleat ſapiens, ut lachrymas fundat, & clara det indicia mœroris ſui. Ut igitur mediocritas obſervetur, neq; affectibus opprimatur ſapiens, docent virtutes.

Contrà inſipiens atqve ſtultus homo affligitur doloribus, moleſtiis, cruciatibus, varios fingit ſibi terrores. Hinc talem nunqvàm tranqvillô, ſed turbidô vides animô.

Ubi verò nullus dolor apparet, etiamſi juſtisſima adſit dolendi cauſa, ibi non tam ſapientia, qvàm immanitas ponenda eſſe videtur. Vult enim natura, ut humanitatis ſuæ veſtigia relinqvantur.

CAPUT V.

De recta ratione; ac voluntate, à qva virtutes dependent.

RAtio ea hôc locô intelligitur, qvæ eſt principium actionis, dijudicans, qvid agendum, vel non agendum ſit. Cùm verò ratio ſæpe depravata exiſtat, facilè perſpicitur, qvòd in virtu-

virtutibus explicandis ad rectam rationem recurrendum ſit. Ita qvi inertem amplectitur voluptatem, indulgens præter modum voluptatibus, habet ille qvidem rationem, ſed depravatam. Qvi verò utitur rectâ ratione, ſtabilem perſeqvitur voluptatem, recedit etiam qvandoq; à voluptate, dolorem appetens, ſi voluptati imminet pœnitentia, aut dolor minor pro graviore ſumitur.

Rectam rationem habet homo per naturam, multùm autem adjuvatur experientiâ: hinc enim enaſcitur prudentia, ut falſum à verò, bonum à malo dijudicari qveat.

Rationi ineſt voluntas, ut poſſit homo agere vel non agere; hôc vel aliô modô actionem exercere. Hinc laus vel vituperium reſultat, prout actio ex voluntate ſuſcepta vel bona, vel mala eſt. Annon enim tuæ voluntatis eſt extraordinarias illas voluptates opprimere, illisq; aliqvid vel multum impendere? Qvod verò contra tuam accidit voluntatem, inde neq; laude, neq; vituperiò dignus es.

Fortunam in actionibus ut DEUM veneratur multitudo, ſed vide qvàm mutabilis fortuna ſit, cùm DEUS ſemper conſtantiam amet. Dicendum potiùs fortunam ſuppeditare occaſiones bonorum atq; malorum, etiamſi non tribuat aut bonum aut malum; longeq; præſtantiorem eſſe prudenter infortunatum, qvàm imprudenter fortunatum. Qvarè ſapiens ita ſegerit, ne vim in eum exercere fortuna poſſit.

CAPUT VI.

De Prudentia.

Nunc de virtutibus ſingulis ordine agendum eſt. Offert ſeſe primò locô prudentia, omnem ita vitam dirigens, ut illa beata ſit, id eſt, ut voluptate fruatur. Inſipientia facit, ut homines ignorent, qvid inter bona, qvid inter mala numerandum, eaq; ſæpius apprehendant, qvæ ſub ſpecie boni in magnos

magnos terrores, dolores,molestias inducunt: Prudentiæ igitur est, restingvere cupiditatem,atq; ea eligere,qvæ non nisi constantem pariunt voluptatem.

Illa prudentia ex se non appetitur, sed propter voluptatem, qvâ omnes dolores ab homine longè removentur; in animo autem tranqvillitas efficitur. Medicinam nemo laudat, nisi propter valetudinem,qvam curat, & qvoniam gubernatio, qvæ navigandi artem respicit,magnas præstat utilitates,non à sua natura, sed ab usu laude digna censetur: Pari ratione prudentia expetitur ob hunc unicum finem,ut conqvirat, atq; comparet voluptates.

Insipientis hominis vita valde misera est,jam agitatur libidine,jam incidit in varias cupiditates, qvæ non foris solùm se produnt adversus cives,adversus alios,qvibus cum vivis, sed animum etiam turbidum & intranqvillum efficiunt.Prudens contrà jucundè vivit, atq; planè in voluptate constitutus est, libidinis ardorem restingvens,cupiditates inanes opprimens. Accedit,ut sapiens eô, qvô decet modô, iniqvæ fortunæ impetus toleret,casus hinc inde emergentes ex longo prospiciens; si qvæ inopinatò accidunt, fortunam infra se positam esse judicans. Qvòd si igitur ad voluntatem omnia fluunt,beatus est; si omnes tempestates adversa fortuna excitat,tantam vim non habet, ut prudentem de beatitudinis sede dejiciat.

Sunt nonnulli ingenii felicitate tam promti, ut sine alterius adjumento ad prudentiam pervenire, atq; ad honestatis viam contendere valeant. Sunt hi sanè optimi, ingenitam naturæ vim habentes,propriôq; studiô sapientiam comparantes.Alii ope alienâ indigent, ad seqvendum, non ad præeundum idonei. Neq; hi omni laude privandi: egregium enim est,servari velle, licet alienô studiô. Magnum verò discrimen remanet inter primæ atq; secundæ sortis ingenium. Qvidam ad prudentiam addiscendam, atq; adeò ad virtutem ipsam colendam cogi compelliq; possunt, non duce tantùm,sed adjutore,& veluti coactore opus habentes. Neq; hoc genus hominum planè fastidiendum, atq; omne illud ample-

ſtendum, in qvo virtutis ſemina apparent; cùm ſufficiat prudentiam generari poſſe.

Qvoniam autem prudentia ſola virtutes producere valet, in inſipientibus non ſunt veræ virtutes, ſed ſimulachra virtutum. Qvomodò enim reſiſtendum doloribus, qvomodò comparandæ veræ voluptates, ignorant illi: hinc etiam fit, ut decepti opinionibus, in terrores atq; cruciatus incidant.

Ergo prudens non pendet ex populi judicio, ſed ſuæ ſcientiæ confidens format conſilium, qvomodò vita inſtituenda, ut omnes actiones voluptati inſerviant. Prudens non niſi ex honeſtate agit: populus non intelligens, qvid honeſtum ſit, ſæpe malis actionibus ſtudet.

Porro prudentia nullam eruditionem eſſe ducit, niſi qvæ beatæ vitæ inſtrumenta ſuppeditet. Qvid enim pöetæ proſunt, qvid adjuvant? In illis non niſi puerilis delectatio reperitur. Qvid Muſica, Geometria, Aſtronomia, ad beatæ vitæ poſſeſſionem conferunt? Omnes hæ diſciplinæ falſis nituntur principiis, & licet vera continerent, nullum tamen adjumentum præſtarent beatæ vitæ: relinqvendæ igitur ſunt. Vivendi autem ars tam præſtans, tamq; operoſa & perinde fructuoſa addiſcenda eſt.

Cæterùm non incommodum eſt, ut vir bonus eligatur, atq; ante oculos ponatur, qvi præſens tanqvàm morum noſtrorum præceptor fingitur, ut non aliter vivamus, ac ſi ille ſpectaret, non aliter agamus, ac ſi ille videret. Valde movemur factorum noſtrorum teſte qvodam. Qvapropter adſit oportet, qvem vereamur, cujus auctoritate omnia, vel ipſa cogitata, metiamur. Nonne enim felix dicendus, qvi actiones ſuas ad majorem perfectionem reducit, atq; etiam cogitationes emendare nititur? Nonne beatus vocandus, qvi memoriâ ſapientem circumgerit, ut ſic, tanqvàm illo inſpectore, vitam inſtituat atq; componat?

CAPUT VII.

De Temperantia.

QVæ moderatur voluptates virtus, vocatur temperantia. Uti verò in omnibus virtutibus non sufficit judicare, qvid faciendum, non faciendumve sit, sed stare etiam oportet in eo, qvod judicatum: ita hîc opera danda, ut voluptatum illecebræ obtemperent judicio, ne forsan ex voluptatibus neq; magnis, neq; necessariis, majores subseqvantur dolores. Finge aliqvem, qvi libidine ducatur: nonne fieri potest, ut ex parva voluptate in maximos incidat dolores, dum omnem bonam famam amittit, legibus civilibus ad pœnam vocatur, vel etiam ex intemperanti veneris usu gravissimos sibi morbos accersit? Temperans igitur prætermittendâ voluptate, maximas conseqvitur voluptates, sustinet dolores, ne aliqvando majores sustinere cogatur.

Ex qvo intelligitur voluptatem non per se fugiendam esse, sed qvia parvam voluptatem magni excipiunt dolores: simulq; manifestum evadit, temperantiam colendam, non qvia avertere voluptatem, sed qvia majorem conseqvi docet.

Cupiditates, circa qvas versatur temperantia, triplicem sortiuntur partitionem. Unum genus ponitur earum, qvæ sint & naturales, & necessariæ: alterum, qvæ naturales, nec tamen necessariæ; tertium, qvæ nec naturales, nec necessariæ. Qvarum ea ratio est, ut necessariæ nec operâ multâ, nec impensâ expleantur: ne naturales qvidem multa desiderant, propterea qvòd ipsa natura divitias, qvibus contenta sit, & parabiles, & terminatas habet: inanium autem cupiditatum, nec modus ullus, nec finis inveniri potest.

Ex temperantia provenit sobrietas, qvæ tenuem victum anteferendum censet splendido atq; copioso. Modò cogitaret homo, qvàm turpe sit, diffluere luxuriâ, ingurgitare sese cibô & potu, & qvàm pejor hac in parte sit bestiâ, mecum magistro voluptatis senti-

ſentiret, qvi pane cibariô,âtq; aqvâ utens, voluptate abundo in corpore,qvi inſcripta hortulis meis talia habeo: Hoſpes hîc bene manebis,hic ſummum bonum voluptas eſt:paratus erit iſtius domicilii cuſtos, hoſpitalis, humanus, & te polentâ excipiet, & aqvam qvoq; largè miniſtrabit, & dicet: Ecqvid bene acceptus es? Non irritant hi hortuli famem, ſed extingvunt, nec majorem ipſis potionibus ſitim faciunt, ſed naturali & gratuitô remediô ſedant. Certos habeo dies, qvibus malignè famam exſtingvam; videns, an aliqvid deſit ex plena & conſummata voluptate, vel qvantum deſit, & an dignum, qvod qvis magnô labore penſet.

Ex tenuiſſimo victu non minor jucunditas percipitur,qvàm ex magnificentia epularum. Qvid enim ſupereſt, qvod delectet, moleſtiâ illâ, qvæ à fame & ſiti oritur, depulsâ? An carnium forſan eſus majorem excitabit jucunditatem? Nihil aliud præſtat, qvàm tenuis victus, imo ad vitæ durationem minimè valet, ob rationem illam, qvâ caro ex contrario miſta eſſe videtur.

Qvod neceſſarium eſt ad indigentiam explendam parabile eſt, atq; ubiq; proſtat: qvod verò ad luxum ſpectat, cupiditatemq; minimè neceſſariam, difficilius acqviritur, comparaturq;. Ejusmodi homines maximam ſibi moleſtiam creant, mentibus eorum falſæ inhærent opiniones, qvæ neqve ad explenda neceſſaria ſpectant,neq; ad aliqvid habendum,ex cujus abſentia incommodum vel corporis, vel animi metuendum,tendunt.

Sobrietas qvatuor habet commoda. Primum eſt, qvòd ſanitati inſervit. Qvi delicatè, magnificè, ſplendideq; vivunt, acceſſunt ſibi morbos, jam podagrâ, jam febri, aut aliô malô, laborant. Sobrietas verò efficit atq; tuetur ſanitatem. Alterum, qvòd ad neceſſarios vitæ uſus reddit hominem impigrum.Sobrius ad cogitandum aptus eſt, jam ſtudere, jam ſcribere, jam audire aliqvid cupit, ex majore animi perfectione magnam capiens voluptatem: Ad corporis exercitia promtus eſt, corpus qvippe ſanum, vegetum, atq; alacre conſpicitur. At repletio,ſatietas nimia, ingurgitatio, crapula, animum obfuſcat, retundit, ac langvidum

dum reddit: corpus autem ut morbidum, sic debile, segne, prægravatum facit. Tertium, qvòd magnificæ epulæ ex intervallo appositæ magis delectant. Eqvidem æqvalis habetur voluptas ratione tenuis victûs, & splendidi apparatûs: sed illi heluones tam opiparè viventes ex continua saturitate non sentiunt, qvam svavitatem atqve jucunditatem lautiores epulæ exhibeant. Qvartum commodum deniq; est, qvòd fortunæ ludibria contemnit. Qvi delicato victui assvetus, indies multâ pecuniâ indiget, ut edere & bibere possit. Tunc non sufficit cibus vel potus in his terris usitatus, sed ex peregrinis locis apportandus est. Multos sustinet in Rep. labores, hanc tantùm ob causam, ne fortunam invidam experiri, atqve genium suum, ut putat, defraudare cogatur. Sobrius contrà invenit ubiqve, qvod satiare, qvod sitim delere possit; hinc non metuit fortunam, sed semper tranqvillò est animô.

Seqvitur virtus, qvæ Venereas cupiditates moderatur, vel restingvit, continentia. Hoc enim in universum verum est, Veneris usum nunqvàm prodesse, & satis bene agi, dummodò res illa delicata atq; mollis non noceat.

Nullum verò remedium, qvod Veneri adhiberi poterit, salutarius est tenui victu: ille non auget, sed minuit seminis copiam, non excitat, sed opprimit stimulos, ut adeò absentibus corporis facibus aliqvis non inflammetur ad cupiditatem. Accedit sapientiæ studium, qvô homo de honestate tantùm cogitat, simul perpendens illa incommoda, qvæ afferunt libidines.

Ad continentiam porro facere videtur Musices atqve Pöetices abstinentia. Tales utraqve habet cantilenas & voces, qvæ flectunt animos ad cupiditatem, ad libidinem.

Cavet sedulò sapiens, ne rem habeat cum illa muliere, qvâ legibus prohibetur. Voluptatem enim parvam, neqve ne-

cessariam non seqvi debent magni dolores. Annonverò bonam amittere famam, ad carceres, ad exilium, aliasq; pœnas redigi, inter magna mala, doloresq; numerabis? Id verò agit sapiens, ut continentiam observandô, secundum leges vivendô, animum tranqvillandô, corporis molestias depellendô, summâ fruatur voluptate.

Qvòd si legitimum matrimonium caret liberis, non Cupido, non Venus accusanda, ex votis, ex sacrificiis potiùs, qvàm remediis naturalibus sperandum, ut illa infelicitas matrimonii tollatur.

Hûc spectat egregia animi facultas, qvâ qvis paucis est contentus. Ex lege naturæ æstimandæ divitiæ: hinc satis habes, si famem, sitimq; depellere vales, si adversus frigus tutus existis. Non opus est tunc superbos venerari homines, nec illorum fastidiosos tolerare mores, & pati inhumanitatem: non castra seqvenda, nec maria tentanda: ad manus statim est, qvod natura desiderat: Si qvæ rerum copia, & abundantia qværitur, multi sustinendi labores, multa incommoda. Mercator ob divitias comparandas fluctuoso mari se concredit, Indos, & barbaras adiens gentes; alius tentoria amat, ibiq; senescere cupit.

Natura paucis contenta est, opinio nullos terminos divitiarum agnoscit. Secundum igitur naturam si vivis, non potes non esse dives: si secundum opinionem non potes non esse pauper. An forsan si tot mille aureos, tot agros, tot structuras aliasq; divitias, & opes numeraveris, contentus eris, ad opinionem vivens? Minimè: sed qvò plures atq; majores tibi sunt divitiæ, eò plures semper appetes, imo in infinitum vergit appetitus tuus, nunqvam inveniens, ubi satiari possit.

Si igitur divitem te facere vis, non pecuniæ adjiciendum: sed pecuniæ detrahendum est. Honesta enim res est læta paupertas, atq; sapiens ex seipso bona sua qværit, qvæ fortunæ tribuenda, tantoperè non æstimat, ut ad felicitatis statum qvicqvam conferant.

Qva-

Qvapropter miſera eſt ſtulti vita, ſuas cogitationes in futurum jaciens, qvæ incertum ſolicitumq; habent eventum. Adimpleri opibus non poteſt, & qvò plura poſſidet, eò plura poſſidere cupit. Licet totius mundi dominus evaſerit, miſer tamen remanet; qvippe cùm miſeria ſit indigentiæ comes; & illi, qvi adeptus totum mundum fuerit, defuturi ſint mundi cæteri, qvos vana opinio haud ſecus monſtrabit, qvàm pauca habenti totum iſtum mundum monſtraverit.

Iram expellit virtus manſvetudo. Magnum eſt dedecus iratô incedere vultu. Qvid enim ira aliud, inprimis immodica, qvàm inſania?

Oritur ira ab injuria: hinc qvando impotens animus injuriâ afficitur ita commovetur, ut magnam ſtatim acerbitatem addat, furori non abſimilem.

Uti verò vel maximus ignis, ſi invenit ſolidam materiam, nullam vim exercere poteſt: ita ſapientis animum inimicorum odium, falſæ accuſationes, & qvæ alia iniqva fingi poſſunt, non turbabunt. Sibi ipſi tantùm confidens, omnia alia bona in fortuitis ducit: ergo vel ametur, vel odio habeatur, unus idemq; vultus ſemper apparet.

Et verò mavult diligi, qvam odio haberi. Prius ſi fieri neqvit, poſterius eô animo fert, qvô decet, atq; inferendô potiùs injurias, qvàm ulciſcendô laudem qværit: bonâ conſcientiâ fretus, nihil de ſua manſvetudine, tranqvillitate remittit.

Alia eſt ratio eorum, qvos ſapiens tanqvàm paterfamilias in domo habet. Sicuti enim aliqvis magiſtratus in Rep. civium ſcelera atq; flagitia citra iram punire ſolet: ita ſine commotione, ſine acerbitate naturæ, ſapiens in delicta ſuorum animadvertit.

Modeſtia virtus facit, ut honores non ambiat ſapiens, niſi neceſſitas Reip. hoc ipſum efflagitat: in occulto potiùs jacet, qvàm ut in publica magiſtratûs dignitate vivat. Dum verò ſerviendum eſt Reip. non planê negligit honores, feliciorem nihilominùs illum ſtatum judicans, qvô ab imperio, publicisq; muneribus abſtinet.

Muta-

Muta-

Mutabilis valdè eſt honor,& qvi hodie eminet, cras dejectus jacet: dum igitur vitæ conſtantiam amat ſapiens, honoribus minimè delectabitur.

Qvi multâ vi principatum obtinet, non poteſt tranqvillô eſſe animô,curâ,moleſtiis, timore ſolicitatur. An enim qvi timendus eſt, non alios timeat? Certè ſtrepitus armorum, fulgor auri, ſplendor purpuræ, illum non liberabunt metu: intus agitatur inqvietis cogitationibus. Ubi ergo felicitas?

Habet ſummum bonum hoc proprium, ut illa reſpiciat; qvæ facilè parari poſſint. Tenuis igitur victus mihi ſufficit,non indigeo epularum magnificentia: æſtate vel ſub aperto cœlo in gramine magnâ voluptate recubo, tunc non prodeſt domus aurô argentôqve fulgens, cantus avium longè jucundior eſt,qvàm citharæ reſonantes. Vivo itaq; in agris, in hortulis tranqvillus, honores me vellicare non poſſunt.

De ſepultura non admodùm ſolicitus ſum: qvippe poſt mortem nihil ad nos pertinet, qvod enim diſſolutum, id ſine ſenſu; qvod ſine ſenſu, ad nos non ſpectat. Hinc nihil intereſt, an corpus dentibus ferarum lanietur, an ignibus torreatur, an terræ pondere obteratur.

Id curat ſapiens, ut benè ſit ſucceſſoribus. Hæc igitur eſt mei teſtamenti ratio, ut Amynomachus, & Timocrates, hæredes mei, de Hermachi ſententia dent ad eorum epulas, qvi unà mecum philoſophati ſunt, omnibus menſibus viceſimo die lunæ.

De mediocritate inter ſpem atq; deſperationem aliqvid dicendum reſtat. Bonum eſt, qvod appetitur, atqve dum illud parabile menti ſiſtitur, ſpem facit, uti deſperationem, qvando acqviri planè non poteſt. Sunt ſtulti homines, qvi ſummâ cupiditate expetunt vitæ perpetuitatem, fingentes ſibi neſcio qvam moleſtiam ex voluptatum poſt mortem privatione; atqve dum hæc vota fruſtra eſſe ſuſcepta experiuntur,deſperatio,qvæ ſecum affert crucia-

cruciatus, mœrores, atq; dolores, oritur. Opus igitur mediocritate est, qvæ certô modô sperare jubeat, desperare planè prohibeat.

Sapiens enim exspectat qvidem futura, sed ab illis non pendet: delectationem potiùs capit ex recordatione præteritorum bonorum, ex præsentibus bonis, qvàm grata illa sint cogitandô. Stultus atq; insipiens contrà sperat tantùm futura, qvæ dum incerta sunt, anxius ejus animus, & variè solicitus existit. Jam honorum splendore, jam pecuniæ multitudine, aliorumq; bonorum cupiditate, agitatur, impendit labores, noctesq; diesq; vigilans, ut potiatur fine propositô. Qvod si excidit spe, molestia atq; intranqvillitas animi subseqvitur. Præterita bona prætermittit, non secum dijudicans, qvàm multos hac in parte antecesserit. Insipiens igitur nullâ verâ voluptate fruitur.

Ad bona autem præterita non ea tantùm spectant, qvibus potiri concessum fuit; verùm etiam malorum declinatio, vel fortis perpessio, si ex necessitate qvædam toleranda fuerunt.

Qvod cupiditatem in immensum atq; perpetuum vivendi concernit, illa in sapiente non datur. Ejusmodi enim ille bona nunqvam expetit, qvæ ob carentiam ad desperationem adigant: metitur omnia naturæ ordine, & qvoniam vita à natura præscriptos agnoscit terminos, ultrà extendere non appetit. Imo, qvando moriendum, non sine voluptate optimæ vitæ perfectum atq; adeò delectabilem finem adesse animadvertit: finit mors omnia, neq; ulla post mortem molestia remanet.

CAPUT VIII.

De Fortitudine.

ALtera pars honestatis est fortitudo, qvæ omnem metum tollit, omnem dolorem eximit, ut tam animo, qvàm corpori

bene sit: Qvòd si adversa ingruunt, animus non succumbit, sed constans sapientia superat malum.

Fortitudinem non ingenerat natura, sed à recta ratione seu prudentia illa efficitur: hinc non est confundenda cum audacia, atq; temeritate, qvæ in bruta cadit, neq; corporis robore aut firmitudine metienda: virorum est propria, ex honesto instituto; atq; prudenti consilio omnia agens.

Hæc virtus, qvia voluptatem gignere apta est, expetitur. Nemo enim propter se labores sustinet, nemo dolores propter se expetit, & vel ipsam fortitudinem exercet, nisi ut curam omnem, metumq; expellat, animumq; & corpus omni molestiâ liberet: Hoc verò est voluptate frui.

Qvi enim exempli gratiâ mortem timet, qvietam agere vitam minimè potest, atq; dum succumbit doloribus, & illis ferendis impar est, in magnis miseriis vivit, ea consilia capiens, qvæ patriæ, amicis, sibiq; ipsi interitum afferunt. Robustus contrà & excelsus animus nihil timet, qvosvis etiam dolores promtê subit, maximos ipsâ morte, parvos vicissitudine reqvietis, mediocres ex sua voluntate leniens.

Sunt alia mala, qvæ à fortitudine superantur, per se; alia per accidens: per se mala sunt dolor atq; ægritudo; per accidens, qvæ dolorem atq; ægritudinem efficiunt. Dolor oritur à morbo, à fustigatione, ab omnibus illis rebus, qvæ corpori nocere videntur: ægritudo à publica, à privata pernicie, alioq; malô, qvod turbat animum. Hæc talia fugimus non aliam ob causam, qvàm qvia dolorem, vel ægritudinem afferunt.

Ut Deos non timeamus fortitudo efficit. A Diis enim immortalibus nihil metuendum est; neq; enim aliqvid agunt, neq; aliis negotium exhibent: Summum illis excellentissimumq; bonum adscribendum est, ut adeò ab omni curâ, ab omni negotio vacare debeant. An enim tranqvillus erit, qvi nullô intermissô temporis punctô versatur circa axem admirabili celeritate? An ille beatus, qvi hanc mundi machinam produxit, hominum

nego-

negotiis intentus, omnia providet, omnia conſervat, cœlum terramq; tuetur?

Falſæ ſunt hominum opiniones, qvæ tantas ſolicitudines Diis attribuunt, verbis aſſerentes Deos, re ipsâ negantes. In perpetuâ tranqvillitate vivunt, neq; irâ, neq; gloriâ tenentur, qvòd, qvæ talia ſunt, imbecilla ſunt omnia.

Qvarè falſi qvoq; à Diis metus ſunt. Qvod enim vulgò dicitur, Deos piis elargiri præmia, impiis conſtituere pœnas, contra ſummam illorum perfectionem eſt. Ex qvibus ſponte ſeqvitur, fruſtra terreri hominum animos tonitru jactuq; fulminum, terræ fremitu mugituq;, venti vehementiâ ac immoderatâ tempeſtate.

Nobis ſufficit, ritè Deos colere, atq; illam pietatem exhibere, qvâ dignæ ſunt immortales naturæ. Qvòd ſi enim æſtimationem merentur res mortales, qvanta veneratio debebitur Diis, utpote mori neſciis, ſummô felicitatis ſtatu ſemper fruentibus?

Deinde adverſus mortem fortitudo ſalutare eſt remedium. Vanæ ſunt hominum mentes de morte terrores concipientes. Mors enim ad nos minimè ſpectat, qvoniam per illam omnia ſolvuntur, omnes ſenſus pereunt; qvod verò ſine ſenſu, ad nos non pertinebit.

Poſt mortem vel igne deleamur, vel à feris laniemur; aut aliô modô corrumpamur, qvid ad nos? Non poſſumus qvidem amicis noſtris officia præſtare: ſed tunc officiorum atq; amicitiæ cultus deſinit.

Sunt igitur inſipientes homines bonorum privationem poſt mortem metuentes, atq; inde dolentes. Qvi verò jucunditatis ſenſus poteſt eſſe, ſublatô ipsô ſenſu? Ex illo errore plerumq; fit, ut mors trepidô vultû adſpiciatur: adoleſcentes, mediæ ætatis homines, & ſenes, nihil ſe egiſſe, nihil ſe jucunditatis in vita percepiſſe, putant, ſemper de futurô ſoliciti. Gravisſimum peccatum eſt, tantâ inſcitiâ laborare ſenes, ut lætabundi mortem excipere ignorent.

Sapientes contrà hac vitâ mortali fruuntur, non qvippiam incerti temporis adjicientes, sed cupiditatem immortalitatis abjicientes. Sicuti cibus svavissimus, non copiosior eligitur: ita temporis non longissimi, sed svavissimi fructus percipiendus.

Sunt qvoq; stulti, qvi mortem futuram, ac si illa multum doloris afferret, non ipsam præsentem timent. Qvod enim præsens nihil doloris exhibet, ut futurum frustra timetur. Si qvid in hoc negotio incommodi, aut metûs est, morienti, non morti adscribendum est vitium. Et verô si sit in extremo halitu aliqvis dolor, solatium ejûs atq; fomentum est brevitas, cùm nullus intensus dolor simul longus sit.

Neq; illi non inepti sunt, qvi juvenem ad honestè vivendum, senem ad honestè moriendum adhortantur. Eadem enim debet esse meditatio vitæ atq; mortis: juvenis ita se præparet, ut vivere desinat, atq; suam vitam ad perfectionem redigat; senex, ut tanqvàm vitæ satur conviva cedat.

Cæterùm tranqvillus animus noster esse debet, ne tædium nos vitæ capiat. Qvid enim tam ridiculum, qvàm mortem appetere, vel currere ad mortem? Certè nisi præcedat inqvietus vitæ status, nihil tale in mentem nobis veniet. Itaq; vita dimittenda non est, nisi aut natura, aut intolerabalis casus ad mortem vocet. Ob hanc causam cogitandum, utrum præstet mortem adire, an mortem ad nos venire.

Porro fortitudinis est, ut expellat corporis dolores: essent illi gravissimi, nisi ex falsa hominum opinione animi qvoq; dolores darentur. Insipientes enim anguntur externis rebus, qvæ minimè sunt in nostra potestate, puta, si forsan fortuna votis non respondet, aut aliud obvenit malum. Hinc oriuntur dolores animi, qvi longè majores sunt doloribus corporis.

Sapiens sedulò curat, ne ullus in corpus derivetur dolor, nisi ut evitetur major dolor, aut voluptas haud exigua concilietur. Illa vult eqvidem semper sine dolore vivere, qvòd si autem neces-

neceſſitas imponit malum, fortem oſtendit animum, ut longè ſuperior dolore exiſtat.

Ergo ſi morbis premitur ſapiens, ſi verberibus cæditur, vinculis, carcere, citra omnem culpam detinetur, invictô ſemper remanet animô. Hoc ſæpe cogitat, qvomodô intenſus dolor brevi deſinat, & vel omnimodam indolentiam, vel mitigationem qvandam efficiat, vel mortem, cum qva omnis moleſtia deſinit; accerſat. Præterita gratâ recordatione in memoriam revocat, ſimul perpendens, qvàm laudabile ſit, invictum ſeſe à dolore præſtare.

Qvòd ſi non ſolatia deſunt vel in gravisſimis doloribus, facilè conjicere licet, qvàm facilè tolerentur leves dolores: vix illi ſentiuntur à tam robuſto animo, qvi qvæq; gravia ferre poteſt.

Deniq; ægritudini reſiſtit fortitudo, qvæ facit, ut animus externis malis non terreatur. Inſipiens ille meritò dicendus, qvi ex vaga volubiliq; fortuna dependet, rebus ſecundis inſoleſcens, & neſcio qvantoperè ſe efferens; in adverſis autem animum planè abjiciens. Sapiens fortunæ & temporum munera caduca cenſet, illorum bonorum non tam facultatem & copiam expetendam putans, qvàm in utendo rationem, & in carendo ſapientiam. Hinc inſipientem inconſtantia regit, conſtantiam ubiq; ſervat ſapiens, ſola virtutis bona vera eſſe dijudicans.

Inſipiens non poteſt non occupari animi ægritudine, qvando adverſa ingruunt: ea enim in malis habet, qvæ reverà non ſunt mala. Sapiens perpetuâ fruitur voluptate, ac nullum tantum accidere poteſt malum, qvod ejus tranqvillitatem atq; jucunditatem impediat: ergo non opprimitur morte liberorum, non famæ detractione, aut pecuniæ opumq; amisſione.

Fieri eqvidem poteſt, ut ſapiens ob factam rerum commutationem, dum felicitati aſſvetus eſt, aliqvam ſentiat ægritudinem; ſed levare tamen illam nititur, avocandô animum à moleſtiis, & revocandô ad ea, qvæ nonniſi jucunda ſunt. Seqvitur rationem tanqvàm normam ſapiens; ratio verò ſuggerit jucunda

tam

tam præterita, qvàm futura: ſuperatur igitur ægritudo à voluptate.

CAPUT IX.

De Juſtitia.

ULtima virtus vocatur juſtitia, qvæ tota refertur ad alium, atq; homini, prout eſt membrum ſocietatis, competit. Sublatâ enim juſtitiâ tollitur omnis ſocietas; hæc enim virtus ſuum cuiq; tribuit, ne ulli injuria fiat, ſedulò cavens.

Qvemadmodum prudentia, temperantia, fortitudo cum voluptate conjuncta eſt; ita qvoq; comparatum eſt cum juſtitia, qvæ nemini nocet, ſed contrà negotioſa eſt, tranqvillandô animum, atq; illi perſvadendô nihil defuturum, qvod natura rectè inſtituta efflagitare poſſit.

Temeritas, libido, ignavia variè excruciant animos, atq; inqvietos reddunt: pari ratione turbidum animum reddit injûſtitia, & ſi vel maximè occultè aliqvid perpetravit, nunqvàm tamen certa eſt, id ſemper fore occultum. Homines enim primò ſuſpicari incipiunt, poſteà ſermone & famâ propagare, deniq; accuſare, qvô poſitô, judicium non ceſſat: nonnulli etiam internis acti conſcientiæ ſtimulis ſeipſos accuſant. Qvod ſi homines fortè celare poſſe videntur, Deos tamen timent, easq; ſolicitudines, qvibus animi dies noctesq; exeduntur, in pœnam & ſupplicium immitti opinantur.

Hoc extra dubium poſitum, improbis factis non tam imminui, qvàm augeri moleſtias: homo ſuæ injuriæ ſibi conſcius eſt, leges civiles pœnam dictitantes, & qvomodò civium odium excitaverit, videt. Ita tamen nonnulli obſtinati ſunt, ut præter modum pecuniam, honores, imperium expetant, libidinibus, epulis, reliqvisq; cupiditatibus indulgeant: qvæ non minuuntur proce-

prædis improbè partis, ſed potiùs inflammantur, ut vi potiùs deterrendi, qvàm inſtitutis doctrinæ imbuendi ſint.

Qvi igitur judicium rectæ rationis adhibet, illum ad juſtitiam, æqvitatem, fidem allicit natura: Neq; homini affectibus obtemperanti injuſtè facta proſunt: multa cum difficultate ille agit, neq; obtinet, qvod effecit. Qvi liberalis eſſe vult, hoc nomen opibus fortunæ & ingenii faciliùs tuebitur; benevolentiam enim conſeqvitur & caritatem, qvà nihil aptius eſt ad qvietè vivendum.

Certè illi improbi non habent cauſam peccandi: cupiditates enim, qvæ naturales dicuntur, ſedantur ſine ulla vi, qvæ nullum modum & finem habent, illis obtemperandum non eſt. Sunt enim contra rationem, plusq; detrimenti, qvàm emolumenti ſuâ injuriâ afferunt.

Qvapropter juſtitia per ſe optabilis non eſt, ſed ob illam voluptatem, qvam parit: nam continet res jucundiſſimas diligi & carum eſſe, ut adeò tutior efficiatur vita, atq; voluptas cumuletur.

Aliud eſt jus naturale, qvod duce naturâ, qvilibet tanqvàm utile expetit, aliud eſt contra naturam, qvod nomen tantùm juſti habet, non rem ipſam: putà, ſi ejusmodi leges præſcribantur, qvæ evertant ſocietatis ſalutem.

Ut enim hoc rectè inculcetur, notandum eſt, qvòd dupliciter dicatur jus, primò utile, deinde qvod communis ſocietatis conſenſu conſtituitur: prius eſt, qvod cuiq; competit, ſervariq; debet, alterum præſcribit, qvid ratione ſocietatis utile juſtumq; ſit, vocatur aliàs lex.

Juſtum non ſemper idem manet, ſed valde variat, & fieri poteſt, qvod hìc tanqvam juſtum ſervatur, alibi injuſtum ſit. Similitudinem deprehendis in Medicina, qvæ ſi omnibus hominibus eadem propinaret, ſalutaria & noxia concurrerent. Non enim apud omnes gentes eædem obtinent leges, qvælibet ſocietas ſua pecu-

peculiaria instituta habet, qvibus dirigit utilitatem, atq; dum utile ubiq; locorum intenditur, fit ut ex variis causis variet jus.

Qvemadmodùm verò inter animalia, qvæ hanc facere pactionem non potuerunt, ut neq; læderent, neq; læderentur, nulla est justi, aut injusti ratio: ita inter gentes, qvæcunq; ad hanc pactionem venire aut non potuerunt, aut noluerunt, ut neq; læderent neqve læderentur, nulla justi vel injusti ratio intercedit. Animalium qvæ nihil inter se pepigerunt, unum nocet alteri, non autem injuriam facit: hominum inter qvos nulla pactio est, unus alteri detrimentum affert, sed omnis injuria abest, qvoniam illa legem, contra qvam agitur, præsupponit.

Annon hac ratione jus qvoddam statuitur, qvod bruta animantia servant, ut justè agant, si non lædant, injustè contrà, si lædant? Minimè hoc asserendum; soli enim homines in juris possessionem veniunt; dum autem de animalibus loqvimur, hoc ita intelligendum est, ut nullum jus sit, nisi in mutua societate.

Ut lex justo viro ponatur non opus est: agit ille motu spontaneò ea omnia, qvæ justa sunt; injusta detestatur. Cupiditates qvas habet facilè explet, simplici utens victu, nulla causa datur latrociniorum, cæterarumqve injuriarum, qvas improbi inferunt.

Improbi autem coërcendi, pœnis deterrendi sunt, atq; animadvertendum, ne in sapientes injustè agant. Ad qvem igitur leges spectent, facilè conjicitur, certè non ad pium, sed impium hominem.

Enimverò sapiens sui gratiâ omnia facit, sui etiam gratiâ justitiam sanctè colit, suum cuiq; tribuit, societatem conservare nititur, utpote sine qva nec ipse salvus esse potest, nullâ terretur mulctâ, nullâ pœnâ, nullius in se provocat injuriam: itaq; tranqvillô est animô, qvi fructus sanè justitiæ est maximus.

Etiamsi injustitia (loqvimur de ea, qvæ ratione loci variat) per se malum non sit; tamen in suspicionis metu versatur, dum eos, qvi hujusmodi rebus animadvertendis præsunt, vix latere potest.

poteſt. Neq; eſt, qvòd qvisqvam clam aliqvid agens, contrà qvàm cum altero pactus fuerit, credat ſe latere poſſe, licet in præſentiâ lateat factum, aliô tempore aperietur.

Hæc eſt illa præclara beatè vivendi, & aperta & ſimplex, & directa via. Cùm enim nihil homini poſſit meliùs eſſe, qvàm vacare omni dolore, & moleſtia, perfruiq; maximis & animi & corporis voluptatibus, nihil prætermittitur, qvod vitam adjuvet, qvò faciliùs id, qvod propoſitum eſt, ſummum bonum conſeqvamur. Qvapropter non poſſumus jucundè vivere, niſi ſapienter, honeſtè, juſtèq; vivamus: nec ſapienter, honeſtè, juſtè, niſi jucundè. Neq; enim civitas in ſeditione, beata eſſe poteſt, nec in diſcordia dominorum domus: qvò minùs animus à ſe ipſe disſidens, ſecumq; diſcordans guſtare partem ullam liqvidæ voluptatis, & liberæ poteſt.

CAPUT X.

De Amicitia.

AMicitiâ ad vitam degendam nihil præſtantius, nihil amabilius, nihil uberius reperitur. Uti inimicitiæ, invidiæ, deſpicationes omnem felicitatem tollunt: ita amicitia, conſociatio animorum, mutuusq; amor ſervant atq; efficiunt vitæ jucunditatem. An enim metu occupatus animus lætabitur? an in futurum tempus læta poterit cogitare? Qvò igitur & præſentibus fruatur, & de futuris optimâ erigatur ſpe, opus eſt amicitiâ.

Non ſeparari aut ſejungi poteſt à voluptate amicitia, ſed cum virtutibus voluptati firmisſimè inhæret: hinc fit, ut aliqvis ſuorum lætitiâ æqvè lætetur ac ſuâ, ſuorumq; angoribus æqvè doleat ac ſuis: omnis lætitia, omnis dolor communis eſt; ad illam ſervandam, augendam, ad hunc depellendum tam præſentem, qvàm futurum, communis adhibetur cura.

H Cùm

Cùm verò amicitiæ comparentur ob usus atq; utilitatem, primi congressus qvidem ex voluptatis ratione fiunt, sed firma amicitia efflorescit tantùm, atq; suâ naturâ appetitur, etiamsi nulla subseqvatur utilitas. Etenim si loca, si fana, si urbes, si gymnasia, si campum, si canes, si eqvos, si ludicras exercendi, aut venandi consvetudines, adamare solemus: qvantò id in hominum consvetudine, faciliùs fieri poterit, & justius?

Porro annotandum, fœdus qvoddam esse sapientum, qvô unus alium eodem atq; seipsum amore amplectitur. Et certum est virtutes conciliare amicos, taliumq; animorum conjunctione nihil esse jucundius.

Amicitia aliàs inter paucos iniri solet: sed ego una in domo, & ea qvidem angusta, magnos, magnaq; amoris conspiratione consentientes teneo amicorum greges.

CAPUT XI.

Judicium de Epicuri Philosophia Morali.

CAPUT II.

QVòd doctrina Epicurea à veteribus haud rarò ut pestifera profligatur, causa esse videtur incommoda Stoicorum explicatio vocis voluptatis. Eqvidem concedunt illi, voluptatem esse & lætitiam in animo, & commotionem svavem jucunditatis in corpore: sed dum ad animum referunt, sublationem animi sine ratione opinantis se magnô bonô frui intelligunt. Est hoc Stoïcorum proprium, ut omnes affectus vituperent, atq; exstirpandos censeant, hinc non mirum est, qvoniam ex voluptate affectum, aut aliqvid simile efficiunt, illam ut meretricem in virginum chorum adduci. Sed estne Epicuri voluptas sine ratione? Animi tranqvillitatem, & hominis felicem statum conser-

vat

vat, hancqve ob causam vel maximè rectam rationem præsupponit.

Habuit hæc sententia jam ante Epicurum suum patronum, atq; defensorem Eudoxum, summum bonum in voluptate, summum malum in dolore ponentem. Tam enim bruta, qvàm ratione prædita animantia expetere voluptatem, dolorem verò ab omnibus declinari. Eudoxus probè institutus fuit, morum honestatem atq; virtutem amplectens; hinc facilè concluditur, qvòd solam intellectam voluerit voluptatem honestam, minimè turpem. Qva de re conferatur *Aristoteles*. Ante Epicurum vixit Aristippus, summum qvoq; bonum in voluptate collocans, qvod ex *Cicerone* constat: *Atqvi ab Aristippo Cyrenaici, atq; Annicerii Philosophi nominati, omne bonum in voluptate posuerunt, virtutemq; censuerunt ob eam rem esse laudandam, qvòd efficiens esset voluptatis.* In seqventibus Stoicorum sectæ addictus accusat Epicurum his verbis: *Dicit ille* (Epicurus) *qvidem multa multis locis: sed aqva hæret, ut ajunt. Nam qvi potest temperantiam laudare is, qvi ponat summum bonum in voluptate? est enim temperantia libidinum inimica, libidines autem consectatrices voluptatis.* Et porro: *Nam ut utilitatem nullam esse docuimus, qvæ honestati esset contraria: sic omnem voluptatem dicimus honestati esse contrariam. Qvò magis reprehendendos Calliphonē, & Dinomachum judico: qvi se diremturos controversiam putaverunt, si cum honestate voluptatem, tanqvàm cum homine pecudem copulavissent. Non recipit istam conjunctionem honestas, aspernatur repellit.*

Ethic. l.10. c. 2.

Offic. l.3. c.33.

Etiamsi autem in voluptate rationem adhibuerit Epicurus; non rectè tamen egisse videtur, qvòd ad probandum illud solos sensus adhibet testes. Nobilissima pars in homine est ratio, non sensus, qvi cum brutis nobis est communis, & qvoniam summum bonum præstantissimum est, rationis, non sensus testimoniô indigemus. Meliùs fecere sectatores Epicuri, qvorum sententiam explicat Torqvatus apud *Ciceronem*, qvando ait: *Sunt qvidam è nostris, qvi hæc subtiliùs velint tradere, & negent satis esse, qvid bonum*

Fin. Bon. Mal. l.1. c.9.

bonum sit, aut qvid malum sensu judicari: sed animô etiam ac ratione intelligi posse, & voluptatem ipsam per se esse expetendam, & dolorem ipsum per se esse fugiendum. Itaq; ajunt, hanc qvasi naturalem, atq; insitam in animis nostris inesse notionem, ut alterum esse appetendum, alterum aspernandum sentiamus. Alii autem (qvibus ego assentior) cùm à Philosophis compluribus permulta dicantur, cur nec voluptas in bonis sit numeranda, nec in malis dolor, non existimant oportere nimiùm nos causæ confidere, sed & argumentandum, & accuratè disserendum, & rationibus conqvisitis, de voluptate, & dolore disputandum putant.

Porro notandum, dari qvoddam medium inter dolorem & voluptatem. Hoc exigit virtutis ratio. Multi enim sunt homines, qvi ex opinione tantùm bene operantur: in illis uti non sunt veræ virtutes, ita neq; vera voluptas. Ex Aristotelis Philosophia hoc satis clarum est, qvæ non dicit homo aut est perfectè beatus, aut perfectè miser, sed tertium gradum addit, ut certò modò beatus, certò modò miser sit.

Cæterùm hic non immeritò qværitur, an summum bonum in voluptate ponendum? Hoc minimè concedendum est: qvamvis absit omnis voluptas; adhùc tamen opera danda est virtutibus, qvamvis maximos dolores sentiat corpus; non tamen cessare debet virtutis studium. Voluptas est potiùs ejusmodi umbra, qvæ concomitatur virtutes, qvàm ipsum summum bonum. Ex Aristótelis itaq; sententia dicimus, qvòd summum bonum in honestis actionibus consistat.

Qvod compositionem summi boni concernit, qvâ animus sine ægritudine, corpus sine dolore existit; rectiùs videtur statui Philosophiam animo tantùm medicinam adhibere. Qvòd si enim animus bene imperat, homo in voluptatis possessionem admittitur.

CAPUT III. Epicurus comparat virtutes cum Medicina. Sicuti vitiosos humores expellit Medicina: ita animum vitiis vacuum faciunt virtutes. Sed falsum est, uti anteà dictum, virtutes non esse per se expetendas atq; colendas.

CAPUT IV. Plurimi veterum qvatuor recensere virtutes prudentiam, temperantiam, fortitudinem, justitiam. Facilè autem animadvertere licet, qvomodò res diversissimæ confundantur: Laudandus itaq; Aristoteles, qvi ab objecti diversitate numerum virtutum iniit. Et verò prudentia est virtus intellectualis, non moralis.

Cohærent omnes inter se virtutes, atq; positâ unâ virtute ponuntur omnes, si non in excellenti, tamen remissiore gradu. Recentiorum nonnulli hoc cogitarent, qvi separatas potiùs, qvàm conjunctas dari virtutes malunt. Habebisne summum bonum in liberalitate, si negligis temperantiæ leges? Nomine, non re ipsà beatus es.

An verò reperietur aliqvis, qvi virtutes omnes exercere posset? Rectè explicandum est virtutis exercitium, qvod non consistit in actione externa & transeunte, sed in interna inprimis & immanente, qvæ est bene operandi intentio.

CAPUT V. Utiq; voluntas est principium actionis, proximè illam constituens: sublatâ voluntate oritur actio per ignorantiam, per violentiam, ut tunc planè non egisse videaris, oritur actio non-spontanea, qvando ignorantia non causa actionis, sed comes tantùm est.

CAPUT VI. Valde Pôetis iniqvus est Epicurus, ac si non nisi pueriliter delectarent. Rectiùs Pôetæ præclari vitæ præceptores, antiqvissimi sapientiæ doctores appellantur. Distingvendum etiam inter usum atq; abusum. Fuere, qvi illiberaliter, petulanter, obscœnè scriberent, prout annotat *Aristoteles*, sed alii divinitus verâ sapientiâ erudiere genus humanum. *Nicomach. l. 4. c. 8.*

Pari modô de Musicis, Geometris, Astronomis iniqvam fert sententiam. Nonne Plato ille omnis prudentiæ magister hæc talia studia, uti ipse confitetur Torqvatus apud *Ciceronem*, amavit? At nullus horum studiorum usus est: sufficit mentem excoli veraq; cognitione imbui, simul autem per accidens (ut loqvi- *Fin. Bon. Mal. l. 1. c. 21.*

 mur

nuur in scholis) ad hominum vitam magna ex his studiis redundat utilitas.

CAPUT VII. Bene colligit Epicurus, virtutes nostras ex actione acqvirere perfectionem. Nihil prodest nosse, qvomodò vivendum sit, atq; ad summum bonum adspirandum, nisi cognitio cum actione conjungatur. Ita qvoq; comparatæ sunt virtutes Theologicæ: munere suô Pastor Ecclesiæ non satis feliciter fungitur admonendô, docendò populum, nisi doctrinam vitæ suæ institutô confirmet.

Cupiditates laudat Epicurus, modò non sint infinitæ, contrà Stoci pro ipsis vitiis ponunt. Sed omnino cupiditatibus mediocritas adscribi potest, ut laudandæ potiùs, qvàm vituperandæ veniant, qvatenus illæ mediocritatem observant, qvam recta ratio vult.

Tenuem victum anteferendum censet splendido atq; copioso. Desinant adversarii Epicuri vitam exprobrare tanqvàm mollem atq; omni jucunditate ad sensus affluentem, honestissima illa est, & laudatissima. Hoc ipsum evincunt tot aureæ sententiæ, qvibus *Seneca* epistolas suas ornavit, adjungens propositi hu-
Ep. 71. jùs rationem: *Eò libentiùs Epicuri egregia dicta commemoro, ut istis, qvi ad illa confugient, spe malà inducti, qvi velamentum se ipsos suorum vitiorum habituros existimant, probem, qvocunq; ierint, honestè esse vivendum.*

Eandem gigni voluptatem ex tenuissimo victu, qvàm magnificentia epularum, qvoniam fame & siti depulsà nulla remanet molestia, asserit Epicurus. Multùm hìc valet vitæ consvetudo, atq; dum in sapientem ex Epicuri sententia nullam vim exercet fortuna, patet, qvomodò apparatu splendido ille non opus habeat.

Qvod porro dicitur carnis esum ad vitæ durationem ob qvalitatum mistionem non facere, ex sacris literis certum esse putat
Gen. I. v. 29. *Grotius*, primos homines abstinuisse à carnis esu, Deumq; herbas,

non

non carnes ad vescendum dedisse; ex pravis hominum moribus posteà factum, ut animantia in cibum cederent.

CAPUT VIII. Providentiam divinam negat Epicurus. Christiani aliter loqvuntur. Deus enim produxit hoc universum, Deus omnia conservat, & speciali curâ hominum tangitur: in illo sumus, vivimus atq; movemur. Aliena igitur sunt à pietate adversus Deum, qvæ disputantur apud *Ciceronem*: *Beatam vitam in animi securitate, & in omnium vacatione munerum ponimus. Docuit enim nos idem, qvi cætera, naturâ effectum esse mundum: nihil opus fuisse fabricâ; tamq; eam rem esse facilem, qvàm vos effici negetis sine divina posse solertia, ut innumerabiles natura mundos effectura sit, efficiat, effecerit.* Et qvæ alia de vana atomorum cohæsione in hunc sensum seqvuntur. *Nat. Deor. l. 1. c. 20.*

Animos porrò nostros negat esse immortales; qvapropter mortem ad nos non spectare, qvoniam morte omnia solvuntur. Hæc qvoq; valde impia est sententia, & licet corpus fragile atq; caducum sit; animus tamen, in qvo Dei imago exhibetur, perpetuò durat.

CAPUT IX. Rectissimè vituperatur discordia tanqvàm pestis Reipublicæ, & societatis domesticæ. Si enim bene conveniunt inter se homines, operâ atq; auxiliô mutuô sibi succurrentes, certissima illis patet via perveniendi ad felicitatem, qvam intendunt: si una pars hùc, alia illùc trahitur, minimè intentum obtinetur. In perfectissima societate, qvæ est Respublica, idem conspicitur. Hodie nihil metuendum esset ab externo hoste, Christianissimo Galliarum Rege, modò omnes Imperii Ordines cum Augustissimo Capite atqve invictissimo in terrarum orbe Principe LEOPOLDO sentirent, vires suas unirent, neq; alius neutras partes amplecteretur, alius hostis in gratiam hostilem caperet vim.

CAP.

CAPUT X. Ex amicitia maximæ proveniunt utilitates, res tuas per amicos commodè amplificare potes, honorem augere, & si aliqvid tibi deest, amicus aut gratis dat, aut usum concedit. Qvi destituitur amicis, ubi præsidium qværet, si adversa ingruunt, seq; ipsum juvare non potest? Amicitia etiam ingentes parit jucunditates, & molesta esse videtur vita, qvæ privata est fideli sociô. Jam enim aliqvid audire, jam discere cupis, jam tua arcana & occulta communicare. In amico teipsum intueris, atq; similitudo morum efficit illam jucunditatem. Sed fundamentum veræ amicitiæ ponendum est in honestate, qvâ absente simulachra & imagines tantùm amicitiarum reperientur. Honestas enim efficit amicitias, firmat, atq; fidelem sociorum consvetudinem omnem dirigit. Posteà excrescuut vel mille utilitates, subseqvuntur jucunditates.

Hæc omnia uti cum mente Aristotelis conveniunt: ita dubitamus, an originem veræ amicitiæ rectè nominaverit voluptatem Epicurus. Sola enim virtus morumq; similitudo ad amicitiam conciliandam idonea censetur. Si expetis amicitiam propter tuam voluptatem, tota amicitia qvasi claudicare videtur. Boni viri sibiq; similes se mutuò amant, non ob aliam causam, qvàm qvia tales sunt. Sicuti autem ex virtute tanqvàm fonte & scaturigine voluptas fluit: ita amicitia in virtutis exercitio tanqvàm fundamento posita non potest non efficere voluptatem. Qvapropter discrimen constituendum honestæ atq; jucundæ amicitiæ: hæc nomen, non rem ipsam habet, ac jucunditatem sectatur.

Jam qvod de multitudine amicorum notat Epicurus, vix in hominum societate obtinebit. Loqvimur de perfecta amicitia, qvæ multos admittere non potest.

CAPUT I.

Ciceronis Laus.



D ſummos pervenire honores propriâ virtute, neqve gloriari de majorum nomine & ſplendore, magna atqve difficilis eſt ratio. Cicero novus homo in illa Rep. qvæ vix alium, qvàm ex nobilium gente amabat Conſulem, Conſul unâ voce ab univerſo populo Romano declaratus eſt. A primo tempore ætatis juri ſtuduit, ut aliqvando omnis juris atqve æqvitatis vindex exiſteret. Probroſum eſt, atqve cum publicæ rei detrimento conjunctum, ſi Rempubl. gubernantes in explicandis civium juribus, in dirimendis litibus, in perſpicienda æqvitate, qvâ nihil accommodatius eſt ad hominum ſocietatem colendam, alios adhibent in ſententiam, neqve ipſi norunt, qvid juri ac æqvitati conveniens ſit. Sicuti autem Magiſtratum decet facundia & ſermonis elegantia: ita nemo dubitat, qvin Conſul hic princeps eloqventiæ jure optimó vocetur: omnem laudem Oratoris conſecutus, de parvis ſubmiſsè, de modicis temperatè, de magnis graviter dixit, atqve orationem prout voluit, variare potuit. Laudatur Demoſthenes tanqvàm magnus Orator, ſed ille ex Oratorum ſcholis prodiit: majore igitur laude dignus, qvi in urbe Roma primus Orator appellatus, qvi primus ad verum eloqventiæ ſtudium ſuos excitavit. Ex ejus literarum monumentis adhuc hodie inſtruuntur Oratores, & multùm profeciſse æſtimatur, cui Cicero placet. Incidebat turbidus Romanæ rei ſtatus, qvô, conſiliô nullô, aut operâ prodeſſe poterat; qvid faciendum igitur tunc putabat? non deſidiæ, qvæ in tam divinum ingenium non ca-

dit, non mœstitiæ, cui resistit sapiens, sed literis sese dedidit. Otium præterea ad negotium contulit, dum tempus, qvod ludis feriisqve destinatum scribendô consumsit, ut ita non minùs otii, qvàm negotii rationem haberet: Ex qvo factum, ut nemo Oratorum, neqve Græcorum, neqve Latinorum, tam multa scripserit, qvàm hic noster. Singulare illud, qvòd in Republ. gubernanda, tuenda, conservanda, non suæ prudentiæ confidit, sed DEUM immortalem in præsidium precibus invocat. Non itaq; à pietate Christiana alienum erit, his afflictis temporibus DEUM precari, ut tueatur adversùs hostes sacrum Romanum Imperium, ut conservet sanctam Rempublicam, id est, Ecclesiam. Qvanta autem merita transtulerit Cicero in publicam salutem, vel ex hoc unico patebit, qvòd ejus discessus funus Reipubl. dictum, ejus reditus omnium gratulationibus exceptus: Patriæ patrem esse oportet, qvem hæc concomitatur infelicitas, vel felicitas.

CAPUT II.

Cicero Stoicis inhæret.

Tusc. Qvæst. l. 4. c. 4. Liberum se profitetur Philosophum Cicero, nulliqve certæ sectæ addictum: *Defendat qvidem, qvod qvisq; sentit: sunt enim judicia libera: nos institutum tenebimus; nullisq; unius disciplinæ legibus adstricti, qvibus in Philosophia necessariò pareamus, qvid sit in qvaq; re maximè probabile.* Ad libertatem Offic. l. 2. c. 17. illam probandam facit illud, qvô se Panætium *secutum esse, non interpretatum* dicit. Qvi enim rectè philosophari vult, non auctoritate niti debet, sed rationibus, suumqve adhibere judicium, ut, qvæ vera, qvæ falsa ab aliis dicta sint, cognoscat. Sanè illud Pythagoreorum αὐτὸς ἔφα ex omnibus sapientiæ officinis à qvolibet veritatis cultore exterminandum, profligandumqve est. Qvare non audiendus *Aufidius*, ita Ciceronem Tusc. Qvæst. l. 1. c. 17. alloqvens: *Errare mehercule malo cum Platone, qvem tu, qvanti facias, scio, & qvem ex tuo ore admiror, qvàm cum istis vera sentire.*

ſentire. Habet ille adhûc hodie ſectatores ſuos, qvi, neſcio qvô affectu, qvâ dulcedine animi allecti, à præceptoris falſis ſententiis non recedunt, cogitationibus vim inferunt, eaqve propugnant, qvæ aliter eſſe, evidentibus argumentis demonſtrari posſunt. Et verò, ſi aliter ſentiunt, aliter loqvuntur, in majori ſunt vitio, qvòd deſtinatô animô & conſiliô falſa pro veris jactitant. Sed dicamus, qvod res eſt, nimis inhæret Stoicis Cicero, qvod & ipſe fateri cogitur, dum ſolam Stoicorum auctoritatem ſufficere putat: *Hæc formula Stoicorum rationi* (loqvitur de honeſtô, qvô honeſtum utile eſſe dicit, nec qvidqvam utile, qvod non honeſtum) *diſciplinæq́ maximè conſentanea, qvam qvidem propterea ſeqvimur.* Imo ſcripta omnia ſatis probant noſtrum aſſertum: *Offic. l. 1. c. 5.*

Tres facit Philoſophiæ partes. *Philoſophia in tres partes eſt diſtributa, in naturæ obſcuritatem, in diſſerendi ſubtilitatem, in vitam atq́ mores.* Per naturæ obſcuritatem intelligit doctrinam Phyſicam, & ſub eâ omnem Philoſophiam ſpeculativam: per diſſerendi ſubtilitatem Logicam, qvæ acutè diſſerere, diſcernere, dijudicare docet; per vitam atqve mores indigitat totam Philoſophiam practicam, & inprimis Ethicam, qvæ noſtram vitam rectè informat, noſtros mores, ne extra honeſtatis limites evagentur. Qvàm benè autem ad Philoſophiam referatur Logica, aliô locô diſputatur: eſt enim illa diſciplina notionalis, modum oſtendens circa res verſandi, non realis, res ipſas tractans atqve explicans. Neqve Logica eſt habitus principalis, ſed inſtrumentalis, ſubſerviens ſuperioribus diſciplinis, hancqve ob unicam cauſam addiſcitur. *Orator. lib. 1. cap. 15.*

Virtutes qvatuor ſtatuit, prudentiam, juſtitiam, fortitudinem, temperantiam. *Omne qvod honeſtum eſt, id qvatuor partium oritur ex aliqva: aut enim in perſpicientia veri, ſolertiaq́ verſatur; aut in hominum ſocietate tuenda, tribuendo ſuum cuiq́, & rerum contractarum fide; aut in animi excelſi atq́ invicti magnitudine, ac robore; aut in omnium, qvæ fiunt, qvæq́ dicuntur,* *Offic. l. 1. c. 5.*

ordine & modo, in qvo inest modestia, & temperantia. Et vicissim: *Omnis honestas manat à partibus qvatuor, qvarum una sit cognitionis, altera communitatis, tertia magnanimitatis, qvarta moderationis.* Qvæ verba à prioribus lucem accipiunt, ut per cognitionem intelligatur prudentia, per communitatis partem justitia, per magnanimitatem fortitudo, & per moderationem temperantia. Hæ qvatuor virtutes jam inde à tempore D. Ambrosii & Hieronymi cardinales dici solitæ sunt, qvòd his virtutibus veluti cardinibus reliqvæ omnes fulciantur.

Offic. l. 1. c. 43.

In sola honestate bonum collocat: *Solum id, qvod honestum sit, bonum judices; & omni animi perturbatione liber sis; Nam & ea, qvæ eximia plerisq; & præclara videntur, parva ducere; eaq; ratione stabili, firmaq; contemnere, fortis animi, magniq; ducendum est; & ea, qvæ videntur acerba, qvæ multa & varia in hominum vita, fortunaq; versantur, ita ferre, ut nihil à statu naturæ discedas, nihil à dignitate sapientis, robusti animi est, magnæq; constantiæ.* Ubi & illud de statu naturæ Stoicè dicitur, qvod aliàs non unâ loqvendi formulâ exprimitur: secundùm naturam vivere, convenienter, congruenter naturæ vivere, naturam seqvi, sibi constare, se DEO tradere, DEUM seqvi. Neqve minus illud, qvod de dignitate sapientis effertur, ad Stoicorum scholam revocandum est, de qvo posteà. Dum verò solum honestum bonum esse statuitur, porrò alloqvitur Filium Cicero: *Ego à te postulo, mi Cicero, ut mihi concedas, si potes, nihil præter id, qvod honestum sit, esse propter se expetendum.* Manavit hæc de honesto sententia à Socrate ad Stoicos, qvod Cicero his verbis notum facit: *Accepimus Socratem solitum exsecrari eos, qvi primùm hæc, naturâ cohærentia, opinione distraxissent. Cui qvidem ita sunt Stoici assensi, ut etiam qvicqvid honestum esset, id utile esse censerent, nec utile qvidqvam, qvod non honestum.* Et vicissim: *rectè Socrates exsecrari eum solebat, qvi primus utilitatem à naturâ sejunxisset.* Verum enim verò sanitatem nemo utilem esse negabit, qvæ tamen honestorum bonorum censu non venit. Sic medicamentum utile est, & ad conservandam,

Offic. l. 1. c. 20.

Offic. l. 3. c. 7.

Offic. l. 3. c. 3.

Leg. l. 1. c. 12.

ſervandam, & reſtituendam ſanitatem, honeſtatem tamen in ſe non continet. Qvæ verò impulerit ratio, ut ita ſentiretur, docet Stoicorum Coryphæus *Seneca : Nibil bonum nobis videtur, qvò qvis & malè uti poſſit. Nec niſi cùm honeſtè adminiſtrata ſunt, bona eſſe incipiunt.* Cur igitur tantas opes, tantas divitias habuit Seneca, ſi illæ nullam utilitatem præſtant? Reſpondet ipſe pro ſe: *Non qvia bona ſunt, ſed qvia ſecundum naturam ſunt, & qvia bonò judiciò ſumuntur. Qvod erit in illis tunc bonum? hoc unum, bene eligi.* Non adhibebant diſtinctionem Stoici inter bonitatem moralem & naturalem : illa ſoli homini, dum animæ rationalis capax eſt, competit: hæc & aliis rebus competit ; qvæ verò omni moralitate non deſtituuntur. Omnis enim actio præſupponit materiam, in qva verſetur ; qvarê homo, qvando aliqvid agit, habeat materiam neceſſe eſt, qvam tractet: ita cibus, potus, divitiæ, ſunt ſingularum virtutum objecta. Neqve tunc ſub alia notione hæc talia veniunt, qvàm prout actioni ſubſternuntur. Hoc unicè curat recta ratio, ut actiones noſtras ita perficiat, ne vel excedendô, vel deficiendô honeſtatis limites egrediamur. Longè aliter Ariſtoteles ſentit, qvi in honeſtis actionibus qvidem ſummum bonum collocat, ſed plura etiam ad ejus complementum ſubſidia reqvirit, ut vel ſint inſtrumenta, vel ornamenta. Concipe divitias, inſtrumentum habebis ad exercendam liberalitatem: ſiſte tibi longævam vitam, habebis ornamentum ſummi boni. Hinc Cicero ait: *Ariſtoteles virtutis uſum cum vitæ perfectæ proſperitate conjunxit.*

Epiſt. 118.

Epiſt. 92.

Fin. l. 2. c. 6.

Laudat ſapientem, *qvi rectiùs magiſter populi, (is enim eſt dictator) qvàm Sulla, qvi trium peſtiferorum vitiorum, luxuriæ, avaritiæ, crudelitatis magiſter fuit: rectiùs dives, qvàm Craſſus, qvi, niſi eguiſſet, nunqvàm Euphratem nullâ belli causâ tranſire voluiſſet. Rectè ejus omnia dicentur, qvi ſcit uti ſolus omnibus. Rectè etiam pulcher appellabitur ; animi enim lineamenta ſunt pulchriora, qvàm corporis : rectè ſolus liber, nec dominationi cujusqvam parens, neq; obediens cupiditati ; rectè invictus, cujus*

Fin. l. 3. c. 22.

etiamsi corpus constringatur, animo tamen vincula injici nulla possint. Scilicet ex Stoicorum sententia sapiens, prudens, ex morum præceptis omni virtute exornatus vir, instar Regis est, nemini subjectus, à publicis negotiis abstinens, pro sua voluntate vivens: qvod si verò tali sapienti libertas denegari videtur, corporis, non animi imperium cessabit.

Hinc inde mentionem facit officii perfecti & medii; illud sapientis proprium esse, hoc in alios qvoq; cadere, qvos vulgus ex virtutis perfectæ ratione vivere putat, qvi verò à virtute perfecta multùm absunt. Hæc divisio certô modô cū Aristotelica comparari potest, qvâ aliæ virtutes perfectæ, aliæ imperfectæ ponuntur.

Seipsum interimere non in vitio ponit, inprimis si vitæ constantia accedit, qvalem constantiam deprædicat in Catone, mortem sibi accersente. Sed jus divinum, atqve jus naturæ aliud probant. DEUS enim dixit: non occide, & natura dictitat: teipsum conserva. Hinc Magistratus civilis vitam nulli adimere potest, nisi propter delictum, ut ajunt, capitale. Neq; facienda mala, ut inde eveniant bona. Malè igitur egere hôc seculô nostrô virgines Magdeburgicæ, in Albim prosilientes, ne in hostium venirent potestatem, decusqve virginitatis amitterent. De melancholicis autem, qvi seipsos interimunt, aliter sentiendum, neqve enim damnandi sunt illi, neqve honestâ sepulturâ privandi, inprimis, si benè anteà vixerint.

Offic. l. 1. c. 31.

Cum Stoicorum principiis conveniens est, qvando dicit: *Conscientiam rectæ voluntatis, maximam consolationem esse rerum incommodarum; nec esse ullum magnum malum præter culpam.* Cum qvo consentit illud: *Magna vis est conscientiæ, & magna in utramqve partem: ut neq; timeant, qvi nihil commiserint, & pœnam semper ante oculos versari putent, qvi peccarint.* Conscientia bona semper tranqvillum animum facit; mala turbidum: delectari atqve gaudere hominem honestis actionibus, & laudabili propositô videmus, agitari contrà & perterreri suô qvemqve scelere, suis malis cogitationibus:

Epist. famil. l. 6. ep. 4. Orat. pro Milon. c. 23.

Sua

Sua qvemq; fraus, & suus terror maximè vexat, suum qvemq; scelus agitat, amentiaq; afficit: suæ malæ cogitationes, conscientiæq; animi terrent, hæ sunt impiis assiduæ, domesticæq; furiæ. Orat. pro S. Rosc. c. 24. Loqvitur hæc talia ethnicus, qvæ Christiani ore nullatenus indigna sunt.

In doctrina de affectibus paria cum Stoicis facit: *Utamur*, inqviens, *in his perturbationibus describendis, Stoicorum definitionibus, & partitionibus: qvi mihi videntur versari acutissimè.* Tusc. Qvæst. lib. 4. cap. 6. Sed qvomodò acutè versari possunt in describendis, definiendisq; affectibus, dum illis mediocritatem denegant? Hinc Stoicorum princeps *Seneca: Utrum satius sit, modicos habere affectus, an nullos, sæpe qvæsitum est. Nostri illos expellunt.* Ep. 116. Affectus qvidem sæpe renuunt moderari: dum enim recta ratio persvadendò ad honesta invitat, imperium istud civile excutere nituntur affectus. Dum etiam sibi proponunt aliqvod jucundum, ab eodem sese non patiuntur abduci: hinc & abluditur ab honestate. Sed licèt anima sensitiva rapiat affectus; nihilominùs tamen rectæ rationis judiciò temperari possunt. Hic enim attenditur primò pugna, qvæ est inter rationem & affectum: ratio honestò atqve pulchrò; affectus inhonestò atqve turpi capitur. Deinde occurrit victoria, palmam tenet practicus intellectus. Deniqve datur obseqvium, affectus practici intellectûs judicio sese submittit. Et nonne in Deum iniqvi sunt Stoici, qvi motus atq; stimulos animo humano à natura impressos tollunt? Certè ipse DEus uti peccatis nostris irasci: ita qvoqve gaudere conversione hominum ad salutem dicitur. Qvarè hic loci non intelliguntur illi affectus, qvi nullum medium admittunt, ipsoq; nomine pravitatem involvunt. Porro qvomodò in partiendis affectibus acutè versari possunt Stoici, dum ejusmodi subtilitates sectantur, tot divisiones apprehendunt, qvæ omnem doctrinam confundunt? Testis est ipse *Cicero: Hoc* inqviens *locò nimium operæ consumitur à Stoicis, maximè à Chrysippo, dum morbis corporum comparatur morborum animi similitudo.* Tusc. Qvæst. lib. 4. 10. Neqve verò

Cicero

Cicero nimium omisit studium in dividendis subdividendisqve affectibus, prout lectori patebit ex libris ad hanc Philosophiam spectantibus.

Acad. Qvæst. l. 1. c. 7. Cum Stoicis eadem sensit de fato: *DEum appellant, omniumq; rerum, qvæ sunt ei subjectæ, qvasi prudentiam qvandam, procurantem cœlestia maximè; deinde in terris ea, qvæ pertinent ad homines: qvam interdum necessitatem appellant, qvia nihil aliter possit, atq; ab ea constitutum sit, interdum qvasi fatalem, & immutabilem continuationem ordinis sempiterni.* Vana est hæc Philosophia: utitur enim homo libera agendi facultate, qvâ & ad virtutes, & ad vitia aptus est. Si itaq; honestati studes, conseqveris summum bonum, si turpitudini deditus es, in miseriam prolaberis. Ex tua itaq; voluntate aut beatus, aut miser es.

Offic. l. 1. c. 27. Cum Stoicis peccatis æqvalitatem inesse statuit. *Falli, errare, labi, decipi, tam dedecet, qvàm delirare & mente captum esse.* Sed satis manifestum est, majus dedecus esse insaniam, qvàm qvalemcunqve errorem. Offic. l. 1. c. 7. Sic qvando dicit: *Qvi non defendit, nec obsistit, si potest, injuriæ, tam est in vitio, qvam si parentes, aut amicos, aut patriam deserat,* paritatem peccatorum iterum probare nititur. Neqve tamen ad eadem omnibus officia præstanda obligati sumus: non igitur æqvales erunt injuriæ; civi magis obligatus es, qvàm peregrino; majorem injuriam facis, si parentes, qvàm amicum deseras, & dum patria omnes caritates, omnes necessitudines complectitur, in maximô erit vitiô, qvi contra illius salutem agit. Neglexere Stoici circumstantias in magnitudine delicti perpendendas; hinc non aliter potuere Parad. 3. c. 1. pronunciare. Falsum enim est, qvod dicitur: *Qvàm longè progrediare, cùm semel transieris, ad augendam transeundi culpam nihil pertinet.* Sunt gradus vitiorum, dantur imperfecta vitia, dantur communia, occurrunt, qvæ longissimè ab omni humanitate remota sunt. Qvia verò in Moralibus ex circumstantiis judicium ferendum, illud cum veritate non stabit: Parad. 3. c. 2. *Æqvè peccare se, si privatis, ac si Magistratibus manus adferant.* Nam in

Magi-

Magiſtratûs vita violanda, violatur, qvi ob ſingulares virtutes eminet, is qvi Reipubl. negotia curat, is à qvo civium dependet ſalus, is qvi majore cultu, honore, atqve reverentiâ afficiendus, qvàm genitor. Multitudine peccatorum præſtat, eoqve pœnâ majore dignus eſt. In hâc verò ſententia dubius eſt Cicero: *Qvæ multum ab humanitate diſcrepant, ut ſi qvis in foro cantet, aut ſi qva eſt alia magna perverſitas, facilè apparent, nec magnoperè admonitionem, & præcepta deſiderant; qvæ autem parva videntur eſſe delicta, neq; à multis intelligi poſſunt, ab his eſt diligentiùs declinandum.* Verba ſatis apertè diſcrimen conſtituunt inter magna atqve parva delicta ſeu peccata; illa à qvovis intelligi, hæc nonniſi à prudente dijudicari poſſe. Cæterùm de honeſtis moribus loqvitur Cicero, qvi neminem in foro cantare putat. Hodie in Academiis, omnis probitatis, omnis honeſtatis officinis, ex vitio ſeculi perverſos vides, qvi cantus, boatibus atqve mugitibus haud abſimiles, emittunt. Ad imparitatem & inæqvalitatem peccatorum probandam facit illud: *Si is, qvi non defendit injuriam, neq; propulſat à ſuis, cùm poteſt, injuſtè facit, qvalis habendus eſt is, qvi non modò non repellit, ſed etiam adjuvat injuriam.* Progreditur, uti in ſcholis loqvimur, à minori ad majus: injuriam non arcere, ubi poteras & debebas, minus eſt flagitium, qvàm injuriam ab aliis illatam fulcire, & ſuâ operâ adjuvare.

Offic. l. 1. c. 39

Offic. l. 3. c. 1.

De morte noſtra, & de providentia divina prorsùs præclara habet Cicero: *Si qvid tale acciderit, ut à DEO denuntiatum videatur, ut exeamus è vita, læti, & agentes gratias pareamus, emittiq; nos è cuſtodia, & levari vinculis arbitremur, ut aut in æternam & planè in noſtram domum remigremus, aut omni ſenſu moleſtiaq; careamus: ſin autem nihil denuntiabitur, eò tamen ſimus animô, ut horribilem illum diem aliis, nobis fauſtum putemus, nihilq; in malis ducamus, qvod ſit vel à Diis immortalibus, vel à natura parente omnium conſtitutum.* Senecæ ſcripta, & inprimis ejus epiſtolas, ſi qvis evolverit, plura in hunc ſenſum dicta

Tuſc. Qv. cap. 49.

K reperiet:

reperiet: qvæ verò à mente Christiani aliena non sunt; Si DEUS aliqvem evocaverit obitu ex his miseriarum turbis, cur non sponte ad cœlestia, ad æterna gaudia veniret: non ibi premitur vitiosis corporis affectibus, sed in DEO, ubi suum receptaculum habet, ab omni labe purus suum gaudium qværit. Hunc diem, qvô relinqvendus mundus, impiis, vitam suam omni turpitudine atqve flagitio contaminantibus, mœrorem & tristitiam afferre novit; sibi ex morum rectitudine, honestate, & virtute viventi, tanqvam pio, immensum exspectandum esse gaudium atqve lætitiam. Certus etiam est, qvæ sibi DEO, & naturâ jubente, eveniant, non in malorum, sed bonorum numerô reponenda esse. Sive igitur mors certis signis antè denunciata sit, sive obrepat, ultimumqve vitæ halitum inopinato auferat, ingrata esse nullô modô potest.

CAPUT III.
De Prudentia.

ORdine agendum de virtutibus est, occurrit primò Prudentia dirigens omnes virtutes, atqve est principium honestarum actionum: nam *sine prudentia ne intelligi qvidem ulla virtus potest.* (*Tusc. Qv. l. 2. c. 13.*)

Hæc uti rectè sese habent: ita inconvenienter prudentia numeratur inter virtutes Morales, cùm sit intellectualis habitus.

(*Consol.*) Senilis ætatis propriam facit prudentiam, qvoniam constat multarum rerum usu, qvi in juvenilem ætatem cadere neqvit. Hinc fit, ut suâ prudentiâ ubiqve emineant Heroes senes & in pace, & in bello. Respice Augustam Imperatoris aulam, respice Principum Consiliarios, atqve Administros. Natura ita hominibus consulere voluit, ut, qvam defectionem virium in corpore efficeret, in animo restitueret.

(*Offic. l. 1. c. 6.*) Tam latè extendit vocem prudentiæ, ut non omnem tractet Philosophiam solùm, sed etiam omnium rerum cognitionem:

nem: ad prudentiam enim refert Astrologiam, Geometriam, Dialecticam, jus Civile.

Longè aliter nostrates, qvi prudentiam tam propriam judicant esse Philosophiæ practicæ, ut planè cum theoretica convenire non possit. Annon verò prudentia est habitus intellectûs, cogitationem motumqve animi respiciens? Hoc qvidem verum, sed habitus intellectûs integer servatur, etiamsi cum actione conjungatur. Non enim prudentiæ, ratione subjecti, cui inhæret, actio competit, sed ratione objecti, atqve finis, qvi non nisi agendô acqviritur. Qvid judicandum de Dialectica, & qvomodo illa pars prudentiæ minimè constituenda sit, per se patet. An enim si syllogismos conficis, si adversarium fallacibus argumentis circumvenis, vel ipse fallacias & fraudes adversariorum animadvertis, honestatem in rebus agendis observabis: Ni fallimur, optimus Logicus sine prudentia nomen suum tuebitur. Jus autem civile, si ad Philosophiam practicam pertinet, est pars doctrinæ Politicæ, non Moralis.

CAPUT IV.

De Fortitudine.

Fortitudo alia est togata, alia sagata: illa pacis; hæc belli *Offic. l. 1. c. 22.*
tempore obtinet. Qvòd si qværas, qvænam præferenda sit, utiqve urbanis, non bellicis rebus debetur laus.

Sed ex suprà dictis de Aristotelis Philosophia Morali constare potest, qvòd fortitudo illa, qvo vocatur togata, propriò sensu talis non sit: ubi enim nullum adest vitæ periculum, ibi fortitudo poni non potest.

Solius honestatis causâ vir fortis pericula subit, non commodo utilitatiqve inservit. Hoc est, qvando ait: *Gratissima* *Orator. l. 2*
laus eorum factorum habetur, qvæ suscepta videntur à viris forti- *cap. 85.*
bus sine emolumento ac præmio.

Plerumqve hodie fieri solet, ut parùm curet miles causam belli, an justa, an injusta sit, sed pro opinione sua, qvâ ex licentia vivere, qvâ prædam facere cogitat, sub hoc vel illo Duce militat.

Offic. l.1.c.21. Fortitudini annectit gloriæ contemtum, qvia nihil in bonis ducendum, qvod non honeſtum.

Hic ex ſua mente philoſophatur Cicero; bene autem in ſeqventibus colligit, illud genus hominum valdè fructuoſum eſſe, qvod ad Rempublicam ſeſe accommodat, neqve illum, qvi inſtructus à natura eſt ad Remp. adminiſtrandam, rectè facere, ſi fugiat munus, qvoniam publica ſalus expoſcit rerum adminiſtratores. Imo poteſt aliqvis cogi ad munꝰ ſuſcipiendum. Sit Miltiades fortisſimus Heros, hoſte externô turbetur Resp. atq; deſtituatur Duce ad regendum militem, nemo dicet, Miltiadi munus asſignatum defugere licere. Rectoris munus in Academiis ſplendidum atq; magnificum eſt, ſi qvilibet Dominorum Profeſſorum, qvòd vel timendi labores, vel metuenda animorum offenſio, illud detrectare velit, non ſubſiſtet ſalus publica: tali caſu juſta excuſationis cauſa adſit oportet, ut aliqvis valetudinis imbecillitate, aut aliqvâ graviore causâ impediatur ab adminiſtratione, cum faſces atii dignitasqve concedendæ.

CAPUT V.

De Temperantia.

Fin. l.4. c.23. PRoprium temperantiæ munus vult eſſe, ut in prætermittendis voluptatibus cernatur: Rectè: non enim facilè metuendum, ne aliqvis in appetendis voluptatibus deficiat: ergò voluptates Veneris, voluptatem in edendo atqve bibendo non æſtimabis.

Offic. l.1.c.30. In temperantia colenda hoc ſuppeditat præceptum, ut homo cogitet, qvantum bruto antecedat, & qvàm turpe ſit diffluere luxuriâ. Vituperant exteri Germanos, qvòd præter modum capiantur potandi libidine. Certè hoc vitium undiqve graſſatur, atqve contagione veluti à ſummis viris ad plebejum hominum genus venit. Nonne in aulis Principum laudatur ſtrenuum

nuum illud potare, qvando unô haustu tantum vel vini, vel cerevisiæ bibitur, qvantum amphoræ implendæ sufficiat? Nonne sunt, qvi edendô, bibendô suum agunt munus, & magnâ dignitate (si dignitas dicenda, qvæ vitio debetur) fruuntur? Sed qvod valde dolendum, inficiuntur hôc vitiô subditi, ebriosis vociferationibus ubiqve utentes. Illud genus hominum non re, sed nomine sunt homines, cum illa nobilissima particula, ratio nimirum destruatur.

CAPUT VI.

De Justitia.

Justitia proficiscitur à jure: jus autem triplex constituitur, ut aliud sit jus naturæ, aliud consvetudinis, aliud civile: Sed juvat adscribere verba Ciceronis: *Ejus* (justitiæ) *initium est ab natura profectum: deinde qvædam in consvetudinem ex utilitatis ratione venerunt: posteà res & ab natura profectas, & ab consvetudine probatas, legum metus & religio sanxit.* *Invent. l. 2. cap 53. conf. c. 22.*

Juris naturæ exempla clarissima sunt, DEum cole, parentibus debitum præsta officium, erga amicos, & qvos sangvine junctos habes, liberalem te præbe, injuriam, qvæ aliis infertur, propulsa, superiores cultu & honore dignare. Hæc talia non opinio, sed natura ipsa inseruit.

Consvetudinis jus à natura initium petit, usu autem augetur, homines etiam sæpius qvædam in mores inducunt, ut sola consvetudo rem approbare videatur. Illud jus pro varietate locorum variat, indeqve ipsum varium est. Consvetudinis exempla sunt, qvòd post mortem patris hic dimidia, alibi tertia pars bonorum matri adscribatur, qvòd hic Doctor ex suo nomine magnam prærogativam obtineat, alibi non. Hæc ex hominum more æstimari, qvis non videt?

Juris civilis formam exhibet Imperator Justinianus, novis autem constitutionibus multa inducuntur, & sunt, qvi juris civilis

ordine & modò, in qvo inest modestia, & temperantia. Et vicissim: *Omnis honestas manat à partibus qvatuor, qvarum una sit cognitionis, altera communitatis, tertia magnanimitatis, qvarta moderationis.* Qvæ verba à prioribus lucem accipiunt, ut per cognitionem intelligatur prudentia, per communitatis partem justitia, per magnanimitatem fortitudo, & per moderationem temperantia. Hæ qvatuor virtutes jam inde à tempore D. Ambrosii & Hieronymi cardinales dici solitæ sunt, qvòd his virtutibus veluti cardinibus reliqvæ omnes fulciantur.

Offic. l. 1. c. 43.

Offic. l. 1. c. 20. In sola honestate bonum collocat: *Solum id, qvod honestum sit, bonum judices; & omni animi perturbatione liber sis; Nam & ea, qvæ eximia plerisq; & præclara videntur, parva ducere; eaq; ratione stabili, firmaq; contemnere, fortis animi, magniq; ducendum est; & ea, qvæ videntur acerba, qvæ multa & varia in hominum vita, fortunaq; versantur, ita ferre, ut nihil à statu naturæ discedas, nihil à dignitate sapientis, robusti animi est, magnæq; constantiæ.* Ubi & illud de statu naturæ Stoicè dicitur, qvod aliàs non unâ loqvendi formulâ exprimitur: secundùm naturam vivere, convenienter, congruenter naturæ vivere, naturam seqvi, sibi constare, se DEO tradere, DEUM seqvi. Neqve minus illud, qvod de dignitate sapientis effertur, ad Stoicorum scholam revocandum est, de qvo posteà. Dum verò solum honestum bonum esse statuitur, porrò alloqvitur Filium Cicero: *Egò à te postulo, mi Cicero, ut mihi concedas, si potes, nihil præter id, qvod honestum sit, esse propter se expetendum.* Manavit hæc de honesto sententia à Socrate ad Stoicos, qvod Cicero his verbis notum facit: *Accepimus Socratem solitum execrari eos, qvi primùm hæc, naturâ cohærentia, opinione distraxissent. Cui qvidem ita sunt Stoici assensi, ut etiam qvicqvid honestum esset, id utile esse censerent, nec utile qvidqvam, qvod non honestum.* Et vicissim: *rectè Socrates exsecrari eum solebat, qvi primus utilitatem à naturâ sejunxisset.* Verum enim verò sanitatem nemo utilem esse negabit, qvæ tamen honestorum bonorum censu non venit. Sic medicamentum utile est, & ad conservandam,

Offic. l. 3. c. 7.

Offic. l. 3. c. 3.

Leg. l. 1. c. 12.

servandam, & restituendam sanitatem, honestatem tamen in se non continet. Qvæ verò impulerit ratio, ut ita sentiretur, docet Stoicorum Coryphæus *Seneca : Nihil bonum nobis videtur, qvô qvis & malè uti possit. Nec nisi cùm honestè administrata sunt, bona esse incipiunt:* Cur igitur tantas opes, tantas divitias habuit Seneca, si illæ nullam utilitatem præstant? Respondet ipse pro se: *Non qvia bona sunt, sed qvia secundum naturam sunt, & qvia bonò judiciò sumuntur. Qvod erit in illis tunc bonum? hoc unum, bene eligi.* Non adhibebant distinctionem Stoici inter bonitatem moralem & naturalem : illa soli homini, dum animæ rationalis capax est, competit: hæc & aliis rebus competit ; qvæ verò omni moralitate non destituuntur. Omnis enim actio præsupponit materiam, in qva versetur ; qvarè homo, qvando aliqvid agit, habeat materiam necesse est, qvam tractet: ita cibus, potus, divitiæ, sunt singularum virtutum objecta. Neqve tunc sub alia notione hæc talia veniunt, qvàm prout actioni substernuntur. Hoc unicè curat recta ratio, ut actiones nostras ita perficiat, ne vel excedendô, vel deficiendô honestatis limites egrediamur. Longè aliter Aristoteles sentit, qvi in honestis actionibus qvidem summum bonum collocat, sed plura etiam ad ejus complementum subsidia reqvirit, ut vel sint instrumenta, vel ornamenta. Concipe divitias, instrumentum habebis ad exercendam liberalitatem: siste tibi longævam vitam, habebis ornamentum summi boni. Hinc Cicero ait: *Aristoteles virtutis usum cum vita perfecta prosperitate conjunxit.*

Epist. 118. *Epist. 92.* *Fin. l. 2. c. 6.*

Laudat sapientem, *qvi rectiùs magister populi, (is enim est dictator) qvàm Sulla, qvi trium pestiferorum vitiorum, luxuriæ, avaritiæ, crudelitatis magister fuit: rectiùs dives, qvàm Crassus, qvi, nisi eguisset, nunqvàm Euphratem nullà belli causâ transire voluisset. Rectè ejus omnia dicentur, qvi scit uti solus omnibus. Rectè etiam pulcher appellabitur ; animi enim lineamenta sunt pulchriora, qvàm corporis : rectè solus liber, nec dominationi cujusqvam parens, neq; obediens cupiditati ; rectè invictus, cujus* *Fin. l. 3. c. 22.*

etiamsi corpus constringatur, animo tamen vincula injici nulla possint. Scilicet ex Stoicorum sententia sapiens, prudens, ex morum præceptis omni virtute exornatus vir, instar Regis est, nemini subjectus, à publicis negotiis abstinens, pro sua voluntate vivens: qvod si verò tali sapienti libertas denegari videtur, corporis, non animi imperium cessabit.

Hinc inde mentionem facit officii perfecti & medii; illud sapientis proprium esse, hoc in alios qvoq; cadere, qvos vulgus ex virtutis perfectæ ratione vivere putat, qvi verò à virtute perfecta multùm absunt. Hæc divisio certô modô cū Aristotelica comparari potest, qvâ aliæ virtutes perfectæ, aliæ imperfectæ ponuntur.

Seipsum interimere non in vitio ponit, inprimis si vitæ constantia accedit, qvalem constantiam deprædicat in Catone, mortem sibi accersente. Sed jus divinum, atqve jus naturæ aliud probant. DEUS enim dixit: non occide, & natura dictitat: teipsum conserva. Hinc Magistratus civilis vitam nulli adimere potest, nisi propter delictum, ut ajunt, capitale. Neq; facienda mala, ut inde eveniant bona. Malè igitur egere hôc seculô nostrô virgines Magdeburgicæ, in Albim prosilientes, ne in hostium venirent potestatem, decusqve virginitatis amitterent. De melancholicis autem, qvi seipsos interimunt, aliter sentiendum, neqve enim damnandi sunt illi, neqve honestâ sepulturâ privandi, inprimis, si benè anteà vixerint.

Offic. l. 1. c. 31.

Cum Stoicorum principiis conveniens est, qvando dicit: *Conscientiam rectæ voluntatis, maximam consolationem esse rerum incommodarum; nec esse ullum magnum malum præter culpam.* Cum qvo consentit illud: *Magna vis est conscientiæ, & magna in utramqve partem: ut neq; timeant, qvi nihil commiserint, & pœnam semper ante oculos versari putent, qvi peccarint.* Conscientia bona semper tranqvillum animum facit; mala turbidum: delectari atqve gaudere hominem honestis actionibus, & laudabili propositô videmus, agitari contrà & perterreri suô qvemqve scelere, suis malis cogitationibus:

Epist. famil. l. 6. ep. 4. Orat. pro Milon. c. 23.

Sua

Sua qvemq; fraus, & suus terror maximè vexat, suum qvemq; scelus agitat, amentiaq; afficit: suæ malæ cogitationes, conscientiæq; animi terrent, hæ sunt impiis assiduæ, domesticæq; furiæ. Orat. pro S. Rosc. c. 24. Loqvitur hæc talia ethnicus, qvæ Christiani ore nullatenus indigna sunt.

In doctrina de affectibus paria cum Stoicis facit: *Utamur,* Tusc. Quæst. lib. 4. cap. 6. inqviens, *in his perturbationibus describendis, Stoicorum definitionibus, & partitionibus: qvi mihi videntur versari acutissimè.* Sed qvomodò acutè versari possunt in describendis, definiendisq; affectibus, dum illis mediocritatem denegant? Hinc Stoicorum princeps *Seneca: Utrum satius sit, modicos habere affectus, an nullos, sæpe qvæsitum est. Nostri illos expellunt.* Ep. 116. Affectus qvidem sæpe renuunt moderari: dum enim recta ratio persvadendò ad honesta invitat, imperium istud civile excutere nituntur affectus. Dum etiam sibi proponunt aliqvod jucundum, ab eodem sese non patiuntur abduci: hinc & abluditur ab honestate. Sed licèt anima sensitiva rapiat affectus; nihilominùs tamen rectæ rationis judiciò temperari possunt. Hic enim attenditur primò pugna, qvæ est inter rationem & affectum: ratio honestò atqve pulchrò; affectus inhonestò atqve turpi capitur. Deinde occurrit victoria, palmam tenet practicus intellectus. Deniqve datur obseqvium, affectus practici intellectûs judicio sese submittit. Et nonne in Deum iniqvi sunt Stoici, qvi motus atq; stimulos animo humano à natura impressos tollunt? Certè ipse DEus uti peccatis nostris irasci: ita qvoqve gaudere conversione hominum ad salutem dicitur. Qvarè hic loci non intelliguntur illi affectus, qvi nullum medium admittunt, ipsoq; nomine pravitatem involvunt. Porro qvomodò in partiendis affectibus acutè versari possunt Stoici, dum ejusmodi subtilitates sectantur, tot divisiones apprehendunt, qvæ omnem doctrinam confundunt? Testis est ipse *Cicero: Hoc* inqviens *locò nimium operæ consumitur à Stoicis, maximè à Chrysippo, dum morbis corporum comparatur morborum animi similitudo.* Tusc. Quæst. lib. 4. 10. Neqve verò

Cicero

Cicero nimium omisit studium in dividendis subdividendisqve affectibus, prout lectori patebit ex libris ad hanc Philosophiam spectantibus.

Acad. Qvæst. l. 1. c. 7. Cum Stoicis eadem sensit de fato: *DEum appellant, omniumq; rerum, qvæ sunt ei subjecta, qvasi prudentiam qvandam, procurantem cœlestia maximè; deinde in terris ea, qvæ pertinent ad homines: qvam interdum necessitatem appellant, qvia nihil aliter possit, atq; ab ea constitutum sit, interdum qvasi fatalem, & immutabilem continuationem ordinis sempiterni.* Vana est hæc Philosophia: utitur enim homo libera agendi facultate, qvâ & ad virtutes, & ad vitia aptus est. Si itaq; honestati studes, conseqveris summum bonum, si turpitudini deditus es, in miseriam prolaberis. Ex tua itaq; voluntate aut beatus, aut miser es.

Offic. l. 1. c. 27. Cum Stoicis peccatis æqvalitatem inesse statuit. *Falli, errare, labi, decipi, tam dedecet, qvàm delirare & mente captum esse.* Sed satis manifestum est, majus dedecus esse insaniam, Offic. l. 1. c. 7. qvàm qvalemcunqve errorem. Sic qvando dicit: *Qvi non defendit, nec obsistit, si potest, injuriæ, tam est in vitio, qvam si parentes, aut amicos, aut patriam deserat,* paritatem peccatorum iterum probare nititur. Neqve tamen ad eadem omnibus officia præstanda obligati sumus: non igitur æqvales erunt injuriæ; civi magis obligatus es, qvàm peregrino; majorem injuriam facis, si parentes, qvàm amicum deseras, & dum patria omnes caritates, omnes necessitudines complectitur, in maximô erit vitiô, qvi contra illius salutem agit. Neglexere Stoici circumstantias in magnitudine delicti perpendendas; hinc non aliter potuere Parad. 3. c. 1. pronunciare. Falsum enim est, qvod dicitur: *Qvàm longè progrediare, cùm semel transieris, ad augendam transeundi culpam nihil pertinet.* Sunt gradus vitiorum, dantur imperfecta vitia, dantur communia, occurrunt, qvæ longissimè ab omni humanitate remota sunt. Qvia verò in Moralibus ex circumstantiis judicium ferendum, illud cum veritate non stabit: *Æqvè peccare* Parad. 3. c. 2. *se, si privatis, ac si Magistratibus manus adferant.* Nam in

Magi-

Magistratùs vita violanda, violatur, qvi ob singulares virtutes eminet, is qvi Reipubl. negotia curat, is à qvo civium dependet salus, is qvi majore cultu, honore, atqve reverentiâ afficiendus, qvàm genitor. Multitudine peccatorum præstat, eoqve pœnâ majore dignus est. In hàc verò sententia dubius est Cicero: *Qvæ multum ab humanitate discrepant, ut si qvis in foro cantet, aut si qva est alia magna perversitas, facilè apparent, nec magnoperè admonitionem, & præcepta desiderant; qvæ autem parva videntur esse delicta, neq; à multis intelligi possunt, ab his est diligentiùs declinandum.* Verba satis apertè discrimen constituunt inter magna atqve parva delicta seu peccata; illa à qvovis intelligi, hæc nonnisi à prudente dijudicari posse. Cæterùm de honestis moribus loqvitur Cicero, qvi neminem in foro cantare putat. Hodie in Academiis, omnis probitatis, omnis honestatis officinis, ex vitio seculi perversos vides, qvi cantus, boatibus atqve mugitibus haud absimiles, emittunt. Ad imparitatem & inæqvalitatem peccatorum probandam facit illud: *Si is, qvi non defendit injuriam, neq; propulsat à suis, cùm potest, injustè facit, qvalis habendus est is, qvi non modò non repellit, sed etiam adjuvat injuriam.* Progreditur, uti in scholis loqvimur, à minori ad majus: injuriam non arcere, ubi poteras & debebas, minus est flagitium, qvàm injuriam ab aliis illatam fulcire, & suâ operâ adjuvare. Offic. l. 1. c. 39. Offic. l. 3. c. 1.

De morte nostra, & de providentia divina prorsùs præclara habet Cicero: *Si qvid tale acciderit, ut à DEO denuntiatum videatur, ut exeamus è vita, læti, & agentes gratias pareamus, emittiq; nos è custodia, & levari vinculis arbitremur, ut aut in æternam & planè in nostram domum remigremus, aut omni sensu molestiaq; careamus: sin autem nihil denuntiabitur, eò tamen simus animò, ut horribilem illum diem aliis, nobis faustum putemus, nilq; in malis ducamus, qvod sit vel à Diis immortalibus, vel à natura parente omnium constitutum.* Senecæ scripta, & inprimis ejus epistolas, si qvis evolverit, plura in hunc sensum dicta Tusc. Qv. cap. 49.

reperiet: qvæ verò à mente Christiani aliena non sunt; Si DEUS aliqvem evocaverit obitu ex his miseriarum turbis, cur non sponte ad cœlestia, ad æterna gaudia veniret: non ibi premitur vitiosis corporis affectibus, sed in DEO, ubi suum receptaculum habet, ab omni labe purus suum gaudium qværit. Hunc diem, qvô relinqvendus mundus, impiis, vitam suam omni turpitudine atqve flagitio contaminantibus, mœrorem & tristitiam afferre novit; sibi ex morum rectitudine, honestate, & virtute viventi, tanqvam pio, immensum exspectandum esse gaudium atqve lætitiam. Certus etiam est, qvæ sibi DEO, & naturâ jubente, eveniant, non in malorum, sed bonorum numerô reponenda esse. Sive igitur mors certis signis antè denunciata sit, sive obrepat, ultimumqve vitæ halitum inopinato auferat, ingrata esse nullô modô potest.

CAPUT III.
De Prudentia.

ORdine agendum de virtutibus est, occurrit primò Prudentia dirigens omnes virtutes, atqve est principium honestarum actionum: nam *sine prudentia ne intelligi qvidem ulla virtus potest.* (Tusc. Qv. l. 2. c. 13.)

Hæc uti rectè sese habent: ita inconvenienter prudentia numeratur inter virtutes Morales, cùm sit intellectualis habitus.

(Consol.) Senilis ætatis propriam facit prudentiam, qvoniam constat multarum rerum usu, qvi in juvenilem ætatem cadere neqvit. Hinc fit, ut suâ prudentiâ ubiqve emineant Heroes senes & in pace, & in bello. Respice Augustam Imperatoris aulam, respice Principum Consiliarios, atqve Administros. Natura ita hominibus consulere voluit, ut, qvam defectionem virium in corpore efficeret, in animo restitueret.

(Offic. l. 1. c. 6.) Tam latè extendit vocem prudentiæ, ut non omnem tractet Philosophiam solùm, sed etiam omnium rerum cognitionem:

nem: ad prudentiam enim refert Astrologiam, Geometriam, Dialecticam, jus Civile.

Longè aliter nostrates, qvi prudentiam tam propriam judicant esse Philosophiæ practicæ, ut planè cum theoretica convenire non possit. Annon verò prudentia est habitus intellectûs, cogitationem motumqve animi respiciens? Hoc qvidem verum, sed habitus intellectûs integer servatur, etiamsi cum actione conjungatur. Non enim prudentiæ, ratione subjecti, cui inhæret, actio competit, sed ratione objecti, atqve finis, qvi non nisi agendô acqviritur. Qvid judicandum de Dialectica, & qvomodo illa pars prudentiæ minimè constituenda sit, per se patet. An enim si syllogismos conficis, si adversarium fallacibus argumentis circumvenis, vel ipse fallacias & fraudes adversariorum animadvertis, honestatem in rebus agendis observabis: Ni fallimur, optimus Logicus sine prudentia nomen suum tuebitur. Jus autem civile, si ad Philosophiam practicam pertinet, est pars doctrinæ Politicæ, non Moralis.

CAPUT IV.
De Fortitudine.

Fortitudo alia est togata, alia sagata: illa pacis; hæc belli tempore obtinet. Qvòd si qværas, qvænam præferenda sit, utiqve urbanis, non bellicis rebus debetur laus. *Offic. l. 1. c. 22.*

Sed ex suprà dictis de Aristotelis Philosophia Morali constare potest, qvòd fortitudo illa, qvo vocatur togata, propriô sensu talis non sit: ubi enim nullum adest vitæ periculum, ibi fortitudo poni non potest.

Solius honestatis causâ vir fortis pericula subit, non commodo utilitatiqve inservit. Hoc est, qvando ait: *Gratissima laus eorum factorum habetur, qvæ suscepta videntur à viris fortibus sine emolumento ac præmio.* *Orator. l. 2 cap. 85.*

Plerumqve hodie fieri solet, ut parùm curet miles causam belli, an justa, an injusta sit, sed pro opinione sua, qvâ ex licentia vivere, qvâ prædam facere cogitat, sub hoc vel illo Duce militat.

nuum illud potare, qvando unô haustu tantum vel vini, vel cerevisiæ bibitur, qvantum amphoræ implendæ sufficiat? Nonne sunt, qvi edendô, bibendô suum agunt munus, & magnâ dignitate (si dignitas dicenda, qvæ vitio debetur) fruuntur? Sed qvod valde dolendum, inficiuntur hôc vitiô subditi, ebriosis vociferationibus ubiqve utentes. Illud genus hominum non re, sed nomine sunt homines, cum illa nobilissima particula, ratio nimirum destruatur.

CAPUT VI.
De Justitia.

JUstitia proficiscitur à jure: jus autem triplex constituitur, ut aliud sit jus naturæ, aliud consvetudinis, aliud civile: Sed juvat adscribere verba Ciceronis: *Ejus* (justitiæ) *initium est ab natura profectum: deinde qvædam in consvetudinem ex utilitatis ratione venerunt: posteà res & ab natura profectas, & ab consvetudine probatas, legum metus & religio sanxit.* *Invent. l. 2. cap 53. conf. c. 22.*

Juris naturæ exempla clarissima sunt, DEum cole, parentibus debitum præsta officium, erga amicos, & qvos sangvine junctos habes, liberalem te præbe, injuriam, qvæ aliis infertur, propulsa, superiores cultu & honore dignare. Hæc talia non opinio, sed natura ipsa inseruit.

Consvetudinis jus à natura initium petit, usu autem augetur, homines etiam sæpius qvædam in mores inducunt, ut sola consvetudo rem approbare videatur. Illud jus pro varietate locorum variat, indeqve ipsum varium est. Consvetudinis exempla sunt, qvòd post mortem patris hìc dimidia, alibi tertia pars bonorum matri adscribatur, qvòd hic Doctor ex suo nomine magnam prærogativam obtineat, alibi non. Hæc ex hominum more æstimari, qvis non videt?

Juris civilis formam exhibet Imperator Justinianus, novis autem constitutionibus multa inducuntur, & sunt, qvi juris civilis

compendia tradunt, tantùm ad usum & consvetudinem hodiernam sese accommodantes, non ea explicantes, qvæ faciunt ad veterem Romanorum statum.

Herenn. lib. 3. cap. 2. Justitiam definit per æqvitatem, & rectè qvidem: æqvitas enim non est distinctum aliqvod jus, sed tantùm recta explicatio juris, ne forsan ex stricto jure inferatur injuria. Hic nobis nihil negotii est, cum rabulis forensibus, qvi neqve rationem æqvitatis perspiciunt, neqve norunt, qvid jus sit, aut qvid justitia postulet, nudis verbis, nudis vocibus inhærentes jus pervertunt, æqvitatem tollunt. Offic. l. 1. c. 7. Qvid justitia observet, ita edocet: *Justitiæ primum munus est, ut ne cui qvis noceat, nisi lacessitus injuriâ, deinde ut communibus pro communibus utatur, privatis autem ut suis.*

Nemo lædendus est, nisi justa causa læsionis adsit, ergò seqvitur, licere adversùs alium se defendere, injuriam repellere, & si injustô occidendi animô in te impetus fiat, invadentem interimere. Ordinata charitas incipit à seipsa, & qvoniam vita res maximi pretii est, tantò magis illam defendere laborabis, neqve hostis potestati & ludibrio expones. Admittit verò regula ex moderamine Christiani amoris limitationem aliqvam: non enim qvævis injuria vindicanda est, beneficiis interdum inimicus, qvi nocuit, & nocere cogitat, afficiendus est, ut per beneficiorum multitudinem, & ipse benefacere discat.

Res sunt vel communes, vel propriæ. Communes sunt, vel omnium hominum, vel cujusdam Reip. vel societatis; huc spectat titulus JCtorum de rerum divisione & acqvirendo ipsarum dominio. Justè tunc agitur, qvando res communes ad proprietatem non veniunt, qvando rebus communib9 aliqvis ita utitur, prout jus communionis exigit. Privatæ autem res licet à te domino possideantur, libera tamen dispositio publicæ necessitatis & utilitatis gratiâ, jure inhiberi potest.

c. l. Pergit porro: *Sunt autem privata nulla naturâ: sed aut veteri occupatione, ut qvi qvondam in vacua venerunt, aut victoriâ,*

riâ, & qvæ alia seqvuntur. DEUS hunc in mundum pulcherrimè exstructum primum hominem, tanqvàm Dominum rerum omnium introduxit. Jus igitur ratione universalis dominii in Adamo cœpit, & per hunc posteris concessum est: sed particulare dominium acqviritur, vel factô hominis interveniente, vel ex dispositione legis.

Occupatio vetus atqve justus est titulus rem possidendi: hinc tritum illud: *Qvod nullius est, occupantis fit*. Hodie per rationem civilis societatis multùm receditur ab usitata veterum sententia; venationes, aucupia, piscationes liberam concedebant possessionem per jus occupationis, nunc multis modis jura illa circumscripta sunt.

Victoria facit, ut devicti res cedant in præmium victoris. Olim jure gentium devicti in servitutem redigebantur, nova humanitas illam immanitatem prohibuit.

Justitiæ adjungit liberalitatem, qvam duobus modis præstari docet, aut operà, aut pecunià. Non est hæc sententia contraria menti Aristotelis, qvi ea omnia ad liberalitatem refert, qvorum pretium nummus metitur. Sed qvando addit, illam, qvæ operà fit, liberalitatem præstantiorem esse, qvòd ex virtute depromatur, qvàm illam, qvæ ex arca, qvoniam ipsum fontem benignitatis exhaurit, valdè dubitamus, an hæc accuratè dicantur. Si enim est utraqve vera liberalitas, utraqve prudentiam, veramqve virtutem præsupponit, utraq; ita se gerit, ne possessori fraudi sit. *Offic. l.2. c.15.*

Liberalitatem ponit & in dando, & in reddendo, qvod explicat his verbis: *Demus nec ne, in nostra potestate est: non reddere viro bono non licet*. Utiq; liberalitas, qvæ in dando consistit, præsupponit voluntatem ab omni coactione civili liberam; sed qvando qværitur de internis animi motibus, tunc omninò dicendum esse videtur, qvòd ad liberalitatem exercendam obstricti simus, conscientia enim dictitat proximum debes adjuvare, egenti subvenire. Ex hoc, ni fallimur, fundamento provenit, posse à Magistratu *Offic. l.1. c.15.*

giſtratu cogi ſubditos, ut certam pecuniæ ſummam ad alendos pauperes conferant, & qvod anteà non dederunt ex nomine liberalitatis, jam dare teneantur jure actionis. Altera ſpecies non tam ad liberalitatem, qvàm juſtitiam ſpectat, ut pro acceptis beneficiis viciſſim gratus exhibeatur animus.

Offic. l.1.c.14. Circa liberalitatem tria obſervanda eſſe monet: *Videndum eſſe primùm, ne obſit benignitas & iis ipſis, qvibus benignè videbitur fieri, & cæteris: Deinde, ne major benignitas ſit, qvàm facultas; tum ut pro dignitate cuiq; tribuatur.* Referamus exemplum, qvod oculis noſtris ſubjicitur: Rex Galliæ, ut Regem Sveciæ ſibi devinctum haberet, multum auri profudit; jam Svecus Germanorum armis, & aliunde premitur: Non igitur eſt liberalitas, unde detrimentum affertur. Et verò qvi tantâ vi pecuniam cogit, qvi alienas ditiones non ſolùm, verùm etiam proprias exuit bonis, qvomodò liberalis erit? Alterum eſt, qvòd benignior, qvàm facultates Regni patiuntur: hinc oriuntur tantæ qverelæ ſubditorum, qvando extorqvetur pecunia. Nonne autem melius eſſet, optimum ditiſſimumqve habere Regnum, qvàm facultatibus, opibusqve denudatum, & in milite tantam fiduciam collocare? Tertium eſt, qvòd non delectum habet dignitatis, non enim digni ſumtus ſunt, qvi in res venereas & libidinoſam vitam impenduntur. Si qvilibet colendus, prout virtutibus eſt ornatus, in illo hominum genere vitium pro virtute numerandum eſſe videtur.

Liberalitati in exceſſu opponitur prodigalitas: Sicut enim liberalitas ſumtus confert in res neceſſarias atqve dignas: ita prodigalitas nimios ſumtus in res non neceſſarias profundit.

Offic. l.2.c.16. Hoc diſcere licet ex ſeqventibus verbis: *Prodigi, qvi epulis, & viſcerationibus, & gladiatorum muneribus, ludorum, venationumq; apparatu pecunias profundunt in eas res, qvarum memoriam, aut brevem, aut nullam ſint relicturi omninò.* Ex vitio ſeculi neceſſarium ferè videtur, ut conferantur ſumtus pro amplitudine honorum, qvò qvilibet adſpirare nititur. Qvòd ſi enim

vacat

vacat munus, vix illud adipisci poteris, nisi patronum pecuniâ concilies. Tolerabilior esse videtur largitio in munere civili, qvàm in ecclesiastico, ubi gravius est peccatum: DEUS enim huic sancto ordini singulariter præest.

In defectu liberalitas pro opposito habet avaritiam. Ex mente *Ciceronis* illi, qvi Remp. tuentur, cavere debent, ne avaritiæ etiam minimam præbeant suspicionem. Qvid hodie fit? vitium illud non occultatur, sed dona accipiendi publica est licentia. Offic. l. 2. c. 21.

CAPUT VII.

De Amicitia.

EX virtutibus oritur amicitia. *Omnium verò societatum nulla præstantior est, nulla firmior, qvàm cùm viri boni moribus similes sunt familiaritate conjuncti.* Offic. l. 1. c. 17. Duo reqviruntur ad amicitiam colendam, primum est morum honestas, à qva viri boni appellantur, alterum morum similitudo, qvæ efficit, ut unus aliô delectetur, & vel unicus adspectus amorem conciliet: sed ut validus amor atq; constans maneat, non alia est causa, qvàm virtus. Multum valet sangvinis jus, verum autem etiam illud est: *Fratrùm qvoq; gratia rara.* Unde illud? sæpius parentes in hunc, qvàm in alium magis propensi sunt, hinc ex liberorum parte concipitur odium, qvod cum ætate gravius existit: nemo alteri cedere vult, & qvoniam sangvine juris se pares vident, iniqvè ferunt alterius meliorem sortem atq; fortunam; præterea bona ex hæreditatis ratione dividenda litigia movere solent. Tale nihil metuendum est in illis, qvi nobiscum sangvine juncti non sunt: qvapropter in his, cæteris paribus, firmissima stare potest amicitia.

CAPUT IIX.

De Libris Ciceronis ad Philosophiam Moralem spectantibus.

SEd non præter rem erit, seorsum singulos Ciceronis libros evolvere, nostrumq; ferre judicium. Qvinq; illi libri de Finibus Bonorum & Malorum agunt de ultimo fine, ad qvem referenda omnia. *Cicero* mentem suam accuratò & copiosò sermone explicat: *Qvid est enim in vita tantoperè qværendum, qvàm cùm omnia in Philosophia, tum id, qvod his libris qværitur, qvid sit finis, qvid extremum, qvid ultimum, qvò sint omnia benè vivendi, rectèq; faciendi consilia referenda? qvid seqvatur natura, ut summum ex rebus expetendis? qvid fugiat, ut extremum malorum?* Vicissim: *Qværimus, qvid sit extremum, qvid ultimum bonorum, qvod omnium Philosophorum sententiâ tale debet esse, ut ad id omnia referri oporteat: ipsum autem nusqvàm.* Summum enim bonum non acqviescit in fine intermedio, sed ultimo, ad qvem referuntur omnia, ipse verò ad nullum aliud refertur. Ille finis necessariò datur. Homo enim qvando agit, non frustra operatur, sed aliqvem sibi præfixum habet scopum. Ne autem in infinitum vergant ipsius actiones, aliqvando invenit, qvò desiderium satiatur, prout *Aristoteles* docet.

l.1.cap.4. *l.1.cap.9.* *Ethic.l.1.c.2.*

Librô primô Torqvatus pro Epicuro perpetuâ oratione disputans introducitur. Et sanè gravem fuisse Philosophum Epicurum evincunt tot severissimæ sententiæ, qvibus Senecæ epistolæ refertæ sunt.

Librô secundô sententia Epicuri refutatur. Ut nobis videtur ex ingenii lusu rejicitur, & Cicero non seriò agit, sed doctâ jucunditate in disputatione illâ capitur: hinc non dissimulat *Epicuri* laudem: *Qvis vestrûm non edidicit Epicuri κυρίας δόξας, id est, qvasi maximè ratas, qvia gravissimæ sint ad beatè vivendum, breviter enuntiatæ sententiæ.*

cap. 7.

Librô tertiô à Catone Stoicorum secta defenditur, prolixè de principiis naturalibus differitur: qvæ principia, si ad hominem accommodantur, non absq; ratione consideranda sunt, sed cum ratione conjungenda: *Appetitio animi non ad qvodvis genus vitæ, sed ad qvandam formam vivendi videtur data.* Est illa forma,

cap. 7.

forma, qvæ apprehendit honestatem, turpitudinem fugit, atqve ut summatim phrasi Stoicorum rem exprimamus, convenienter naturæ vivere docet. Summum etiam bonum non collocandum est in principiis naturalibus, verùm in illis potiùs, qvæ subseqvuntur, atq; certâ ratione definita sunt; additur ratio: *Propterea, qvòd non inest in primis naturâ conciliationibus honesta actio.* Summum bonum qværendum est in anima rationali, non sensitiva, nisi velis bruta in consociationem summi boni recipere. Porro redarguit Peripateticos: *An certius qvidqvam potest esse, qvàm illorum ratione, qvi dolorem in malis ponunt, non posse sapientem beatum esse, cùm eculeô torqveatur?* Sed non rectè explicat Peripateticorum sententiam. Omnino enim omnis dolor in se spectatus fugiendus est, atq; malus esse censetur, adeoq; summo bono contrarius; cùm autem prudens vir pro patriæ salute sustinet dolores, vel etiam mortem, invictum ostendens animum, exinde lætitiam potius, qvàm cruciatus sentit. Qvando porro subsumit: *Cùm tria genera bonorum sint, qvæ sententia est Peripateticorum, eò beatior qvisq; sit, qvò sit corporis, aut externis bonis plenior;* Conceditur eqvidem, qvòd alia sint bona animi, alia corporis, & alia fortunæ, sed negatur in duobus posterioribus consistere beatitudinem, qvia sunt tantùm instrumenta, qvæ faciunt ad summum bonum conseqvendum, atqve exercendum, hanc ob causam ex illorum multitudine non augetur summum bonum, nisi ex vulgi sententia loqvi velis.

c. 6.

c. 13.

c. L.

Libro qvartô Catonis argumenta partim examinantur; partim refutantur. Librô qvintô Peripateticorum de summo bono sententiam proponit,

Tusculanæ Quæstiones in qvinqve libros dispesci solent, qvorum primus de contemnenda morte, secundus de tolerando dolore, tertius de ægritudine lenienda, qvartus de reliquis animi perturbationibus agit; postremus deniqve virtutem sistit, & qvomodò illa sufficiens sit ad summi boni possessionem. Senex autem confecit Tusculanas Qvæstiones, qvod ipse confitetur:

l.1. c.4. tetur: *Ut enim antè declamitabam causas, qvod nemo me diutius fecit, sic hæc nunc mihi senilis est declamatio.*

Libri tres de Legibus injuriâ temporis manca prostant. Ostenditur in illis hominum mutua necessitudo, & quomodò optimè societas amicitiâ, qvæ nihil aliud dicit, qvàm alium eadem dilectione, qvà seipsum prosequi, contineatur. Adduntur varia monita, qvæ originem juris naturæ attingunt. Inprimis enim in juris naturæ indagatione solicitus est, statimq; initiô libri primi jus civile ad jus naturæ restringit.

cap. 4. In secundo libro pergit in definiendo naturæ jure: *Hanc video sapientissimorum fuisse sententiam, legem neqve hominum ingeniis excogitatam, nec scitum aliqvod esse populorum, sed æternum qviddam, qvod universum mundum regeret, imperandi, prohibendiq; sapientiâ. Ita principem legem illam & ultimam, mentem esse dicebat, omnia ratione aut agentis, aut vetantis DEI: ex qva illa lex, qvam Dii humano generi dederunt, rectè est laudata. Est enim ratio mensq; sapientis, ad jubendum & deterrendum idonea.* Juris enim naturæ DEUS est auctor, qvi nostris mentibus indidit notiones honestè vivendi, ut cognoscamus, qvomodò erga DEUM vivamus, qvomodò erga alios homines, qvomodò erga nosmetipsos. Anteqvam peccaremus, omnium jurium solidam & expressam effigiem conspiciebamus: jam umbra & imagines apparent, easq; ipsas utinam seqveremur! Sed voluit divinum Numen hanc legem, hoc naturæ jus decalogô sanctissimô de novo promulgare; ut eò certiùs, meliusq; constaret de colenda honestate atq; fugienda turpitudine. Non enim decalogus à lege illa, seu jure naturæ, re ipsâ distingvitur, & ut in scholis loqvimur, essentiâ: modus tantùm discrimen constituit. Rigor summus est, quem reqvirit decalogus, à nemine observatu possibilis; imo licèt homines actiones suas honestas in unum conferrent, tamen mensuram perfectionis, quæ requiritur, non adimplerent. Hinc patet, sub quo censu veniant opera gentilium: certè si ad rigorem juris naturæ revocantur, seu ad regulam æternæ legis examinantur, imperfecta sunt. Laudamus Aristidis justi-

justitiam,Lucretiæ castitatem, quod actûs ipsos concernit,inde verò actio moraliter bona nondum probatur. Ut jam non minùs Pontificii,quàm Syncretistæ redargui possint. Illi enim primos inordinatos motùs ab omni labe purgant,ac si à DEO in peccati reatum non imputarentur: Hi solis naturæ viribus bonum opus morale peragi posse,operosè,sed frustrà probant.

Tertius liber de magistratu civili agit,& inter alias memorabiles sententias hanc qvoqve recenset: *Non tantum mali est peccare Principes (qvanqvam est magnum hoc per se ipsum malum) qvantum illud, qvod permulti imitatores Principum existunt.* c. 13. Seculi perpende mores,& non à veritate alienum dictum reperies.

Opus de Officiis admirabile prorsus est, atque inexhaustâ eruditione refertum,styli etiã venustâ mediocritate valdè commendandum. Non graviorem testem sistere licet, quàm ipsum *Ciceronem*, qvandò filio hoc suppeditat monitum: *Qvamobrem magnoperè te hortor, mi Cicero, ut non solùm orationes meas, sed hos etiam de Philosophia libros, qvi jam se illis ferè æqvarunt, studiosè legas. Vis enim dicendi major est in illis: sed hoc qvoqve colendum est æqvabile, & temperatum orationis genus.* l. 1. c. 1. Et vicissim: *Habes à patre munus, Marce fili, meâ qvidem sententiâ magnum.* l. 3. in fine. Semper etiam magni habita sunt officia. *Alexander Severus Imperator* cùm curis publicis vacûus esset,illorum lectione mirum in modum captus est: Lamprid. vit. A. Sever. Idem de *Ludovico XII. Galliarum Rege* habetur,prout ex scriptoribus notissimum est; Paulo Æmilio Veronensi nec aliter dicendum de Illustrissimis Dominis à Friesen/qvos Heroës ac Mæcenates divinum Numen Augustissimo Principi nostro,totiq; rei literariæ conservet,omniq; felicitate florere jubeat! Cæterùm attento lectori patebit, poni sæpè incongrua vocabula, sensum esse suspensum,res præter necessitatem repeti, qvod non tam auctori, qvàm librariis,ex tot iterata scriptione,vitio vertendum est. Jam suô tempore de librariorum negligentia qvestus est *Cicero: De Latinis verò, qvô me vertam nescio: ita mendosè & scribuntur, & veneunt.* Epist. Fam. l. 3. ep. 5. Et qvod bene observandum, loqvitur Cicero haud

l.2.cap.10. rarò ad communem morem, qvod ipse fatetur: *alia est,* inqviens, *illa, cùm veritas ipsa limatur in disputatione subtilitas; alia, cùm ad opinionem communem omnis accommodatur oratio.* Laudat equidē scripta sua, ac si *nō multùm* à Peripateticis *dissiderent:* (l.1.cap.1.) sed multùm distare, res ipsa loquitur; imò sine causa accusat Peripateticos: (l.1.cap.25.) *Probibenda maximè est ira in puniendo; nunqvam enim iratus qvi accedit ad pœnam, mediocritatem illam tenebit, qvæ est inter nimium & parum: qvæ placet Peripateticis, & rectè placet, modò ne laudarent iracundiam, & dicerent utiliter à natura datam.* Ubi verò apud Peripateticos legitur, iracundiam in laude esse ponendam? Nonne Aristoteles iracundiam ubiq; vituperat? At ira est affectus naturalis, à DEO nobis impressus, qvem qui criminatur, in ipsum DEUM impius est. Ponit cum Stoicis quatuor virtutes, tam confundens omnem rem, ut ex schola Peripateticorum nullatenꝰ prodiisse videatur. Nō agnoscit in rebus Moralibꝰ certitudinem, sed tantùm probabilitatem: (l.2.cap.2.) *Nos autem ut cæteri, qvi alia certa, alia incerta esse dicunt, sic ab his dissentientes, alia probabilia, contrà alia improbabilia esse dicimus.* Aristoteles contrà in Moralibus certitudinem amplectitur: dum verò recentiores demonstrationes in his talibus asserunt, multa inde oritur disputatio. Commentationes omnes recensere supervacaneum est. Hier. Wolfii opera valdè placet. Addidit ante paucos annos accuratam diligentiam Samuel Rachelius, in Kiloniensi Academia Professor Clarissimus, ex Peripateticæ doctrinæ principiis rem illustrans, & sedulò vestigiis Grotii de Jure B.P. insistens. Vellemus, ut in opere edendo de vera lectione magis solicitus fuisset, & seriem capitum annotasset, ut facilius lectori negotium exhiberet.

Totum opus dispescitur in tres libros. Primus liber agit de honesto & inhonesto, ubi in observanda honestate laudat illorum sententiam, *qvi vetant qvidqvam agere, qvod dubites æqvum sit, an iniqvum.* (c. 9.) Definiunt aliàs conscientiam dubiā, qvâ intellectus hæret, utrū actio honesta, an inhonesta sit: cumq; intellectꝰ alius

alius sit theoreticus,alius practicus, hinc etiam distingvitur inter dubitationem theoreticam,& practicam;illa de re universali ambigit,hæc de re singulari. Qvanqvàm,si verum dicendum,cõscientia dubia impropriè de hoc nomine participat.Ratio:conscientia judicat fierine aliqvid,an omitti debeat;at ubi ômne judicium exulat, neqve in ullam partem datur assensus, ibi conscientia non inveniet locum.Aliter fieri solet in conscientia probabili & erronea:Illic datur assensus,licèt cum formidine oppositi;hìc intellectus assentire non refragatur, dum verum intellectus judicium caligine obductum est. Sicut autem divisio in conscientiam theoreticam & practicam satis bona est:ita absurditate non caret,qvandô statuitur,judicium theoreticum posse esse incertum,practicum certum, vel probabile. Mutuus enim hîc datur consensus,dum theoreticum judicium remotum,practicum proximum actionum humanarum est principium,ut unum alteri qvasi subordinetur.Dubitet Antonius in judiciô speculativô,an rem furtô alienatam liceat emere,an non:in judiciô practicô tunc non certus erit,an hanc vel illam rem furtô alienatam liceat emere.

Secundus liber tractat utile & inutile.Ubi rerum utilium talem subministrat divisionem : *Qvæ ad vitam hominum tuendam pertinent,partim sunt inanima,ut aurum, argentum, ut ea, qvæ gignuntur è terra,ut alia ejusdem generis : partim animalia, qvæ habent suos impetus & rerum appetitus.* De divisione illà judicet eruditus lector; certè,si examinetur ex Peripateticæ disciplinæ principiis,rejicienda omnino est. c. 3.

Tertius liber comparationem exhibet honestorum,item utilium. Unam actionem honestiorem esse alià,unamqve rem superare utilitate aliam,evidentia vitæ civilis demonstrat.

Adjungendus est Ciceroni divus Ambrosius Episcopus Mediolanensis,Confessorq; sanctissimus, qvi totidem de eadem materia libros posteritati reliqvit. Ipse instituti sui rationem his verbis exponit: *Si de officiis qvidam Philosophiæ studentes scripserunt,ut Panætius,& filius ejus apud Græcos;Tullius apud Latinos;* l.1. c.7.

non

non alienum duxi à nostro munere, ut & ipse scriberem. Et sicut Tullius ad erudiendum filium, ita ego qvoq; ad vos informandos filios meos. Non enim minùs vos diligo, qvos in Evangelio genui, qvàm si conjugiò suscepissem. Non enim vehementior est natura ad diligendum, qvàm gratia. Plus certè diligere debemus, qvos perpetuò nobiscum putamus futuros; qvàm qvos in hoc tantùm seculò. Illi degeneres nascuntur freqventer, qvi dedeceant patrem: vos antè elegimus, ut diligamus. Edidit hunc librum præclarâ præfatione magni nominis Vir Bœclerus. Ambrosii verò & Ciceronis officia, respondentibus è regione paginis prodiere Moguntiæ initiò hujus seculi annò secundo.

Dialogus de Senectute, qvi Cato Major inscribitur ad hanc Philosophiam pertinet, habet ejusmodi monita, qvæ & senes & adolescentes concernunt.

Neqve omittendus Dialogus de Amicitia, qvod vel ipse titulus probat. Amicitia enim ex morum honestate conciliatur, & concentum qvasi virtutum omnium complectitur. Ultra gen-
c. 3. tilem Philosophiam ascendit, qvandò ait: *Non assentior iis, qvi hæc nuper disserere ceperunt, cum corporibus simul animos interire, atq; omnia morte deleri.* Cur virtutibus studendum, si hæc caduca vita, non immortalem speraret, si Deus justos justis præmiis non afficeret, qvi ex virtutis (intelligimus Christianam virtutem) decore sese gesserunt? Qvæ sententia uti satis bona: ita multum vitii continet illa, qvâ impiis nullam poenam, nullum cruciatum
Orat. pro A. Cluentio, c. 61. post mortem metuendum esse, asseritur: *Nam nunc qvidem, qvid tandem illi mali mors attulit? nisi fortè ineptiis ac fabulis ducimur.*

Ultimò huc referuntur *Paradoxa*, in qvibus mera Stoica reperiuntur; id qvod præfatione ad *M. Brutum* ipse docet, ostendens, ab ipsis Stoicis ideò παράδοξα appellari, *qvòd sint admirabilia, contraq; opinionem omnium, sibi verò & maximè Socratica ea videri, & longè verissima.*

De

De reliqvo nullum est dubium, periisse qvosdam hanc Philosophiam concernentes libros. Allegantur libri sex de Rep. in qvibus veterum more non de civitatis solùm regimine, sed etiam virtutibus moralibus multùm disputavit, qvod fragmenta probant. Somnium Scipionis, qvod continetur in ultimo libro integrum esse videtur. Ibi supra sortem & captum gentilis hominis ascendit, qvandò prudentibus civitatum rectoribus certum in cœlo locum adscribit, ut beati ævô sempiternô fruantur; hancq; vitam mortalem esse atq; caducam, alteram immortalem atq; æternam. Sed qvô jure, *Marce Tulli*, Stoicorum de αὐτοχειρίᾳ opinionem suprà approbasti, dum jam ais: *Piis omnibus retinendus est animus in custodia corporis: nec injussu ejus, à qvo ille est vobis datus, ex hominum vita migrandum est?* Qvi secum solus rem considerat, meliùs sæpè dijudicat, qvid sit agendum, vel omittendum in vita humana, qvàm si alios seqvitur, atqve præconceptâ opinione certæ sectæ adhæret. Qvanqvàm non mirum, hominem gentilem, jam in hanc, jam in illam delabi sententiam, dum tot utrobiq; invenit propugnatores, assertores, doctores, ut si auctoritatem respiciat, semper incertus maneat. Ad justitiam colendam præclarus est locus, qvi vicissim aliqvid altioris Philosophiæ sapit: *Sic Scipio, ut avus hic tuus, ut ego, qvi te genui, justitiam cole, & pietatem: qvæ cùm sit magna in parentibus, & propinqvis, tum in patria maxima est: ea vita via est in cœlum.* Sed longè alia est justitia, qvæ ad cœlum atq; beatitudinis æternæ sedem ducit, qvàm illa moralis, cujus beneficiô vel maximè conservatur omnis hominum societas. Et te ipsum, *Cicero*, deceptum esse nimiô dolore sentis, atqve jam antè certus fuisti, impios *deprimi in tenebras atq; in cœno jacere.*

c. 8.

c. 1.

l. consol. qvod fragm. repetit. Lact. l. 3. c. 19.

Hortensius seu liber de Philosophia propriè húc spectat, mentionem ejus ipse facit: *Philosophiæ vituperatoribus satis responsum est eô librô, qvô à nobis Philosophia defensa, & collaudata est, cùm esset accusata, & vituperata ab Hortensio.* De qva verò Philosophia loqvatur, satis indicant fragmenta, atq; inprimis locus meretur annotari, qvem allegat *Augustinus*, ubi voluptas

Fin. l. 1. c. 1.

l. 4. contra Pelag.

tanqvàm vitium pessimum vivis coloribus depingitur: *An verò voluptates corporis expetendæ, qvæ verè, & graviter à Platone dictæ sunt illecebræ, atq; escæ malorum? qvæ enim est confectio valetudinis, qvæ deformatio coloris, & corporis, qvod turpe damnum, qvod dedecus, qvod non evocetur, atq; eliciatur voluptate? cujus motus ut qvisq; est maximus, ita est inimicissimus Philosophiæ.* Et qvæ alia prolixô ordine hanc sententiam elegantissima seqvuntur verba.

Neqve omittendi duo libri de Gloria, qvod vel ex ipso nomine patet. Gloria enim est virtutum comes, atq; studere solent homines morum honestati, & laudabiles suscipere actiones, ut inde bonam famam, & gloriæ decus sibi comparent. *Cicero* ipse lectorem ad hos libros ablegat: *Nunc dicamus de gloria, qvanqvàm ea qvoq; de re duo sunt nostri libri.* Forsan etiam, qvæ in libris illis de gloria prolixè disputavit, hic in Officiis ad angustiam redigit, ut nihilominùs summatim omnem doctrinam complexus sit.

Offic. l. 2 c. 9.

Liber de Virtutibus, qvi propriam qvoq; hic loci inveniret sedem, planè est deperditus. Si superstes foret, multùm sine dubio faceret ad antiqvitatem explicandam, & eruendam, atqve nescimus, Philosophia Moralis, qvantum inde decus haberet.

l. 3. contra Acad.

Libros Academicos esse nominandos, non una ratio svadet, & locus qvi longâ serie extat apud *Augustinum* idem evincit, qvando Philosophi inter se comparantur, & laus Academicis defertur. Ut putamus totam Academicorum Philosophiam Moralem accuratè explicuit, dum & ipse multùm favet Academicis.

De libris, qvos Legum nomine inscripsit, non aliter judicandum, qvâm de libris Remp: concernentibus. Traditum esse in illis, qvid honestum, qvid turpe sit, ut inde incolumitas civitatis conservetur, nemo dubitabit, qvi veterum philosophandi morem cognitum habet. Attamen simul concedendum erit, in his talibus conscribendis multum adjumenti præstitisse Platonem.

CAPUT IX.

De Ciceronis Præceptoribus atq; Doctoribus.

Sun-

Summum fuisse in Cicerone ingenium, & admirabili qvodam ad Philosophiam studiô concitatum, res ipsa probat. Non autem sine præceptore atq; doctore, uti hodie multi faciunt, studiis suis pessimè consulentes, ad Philosophiæ culturam accessit. In pueritia institutorem habuit *Phædrum*, qvi illi ut Philosophus valdè probabatur. Posteà principem Academiæ *Philonem* nactus est; *l.13.ep.1.* cùm enim ille bellô Mithridaticô Athenis profugisset, Romamq; venisset, singularem invenit doctorem *Cicero*. *Brut.c.89.* Fuit qvoq; cum Stoico *Diodoto*, qvem nunqvam à *se dimisit*, *Nat. Deor. l.1. c.3.* à qvo cùm in aliis rebus, tum studiosissimè in dialecticâ exercitus est. *Brut.c.90.l.9. ep.4.l.13.ep.16.Tuscul.l.5. c.39.* Magnam diligentiam in addiscenda Logica adhibendam esse, addiscerent illustri hôc exemplô, nonnulli superstitiosi, qvi notitiæ Moralis secultores jactitant, & Logicam, uti indignam suis nominibus disciplinam planè rejiciunt. Qvanqvàm Philosophus noster alium etiam sibi præfixum habuit scopum, nimirum ut inde eloqventiam suam augeret. Athenis summum doctorem habuit *Antiochum*, veteris Academiæ nobilissimum, *Brut.c.91.* & prudentissimum Philosophum. Ibi etiam *Phædrum & Zenonem* freqventer cum Attico audivit. *Fin.l.1.c.5.* Hic *Phædrus* à priore est distingvendus: neq; enim Romæ, sed Athenis docuit, neq; illum puer audivit *Cicero*, sed cùm jam ad judicii maturitatem pervenisset. Rhodi audivit *Posidonium* Philosophum, illum ex Stoica secta prodiisse, seqventia probant, qvando ait: *Nihil agis dolor: qvamvis sis molestus, nunqvam te esse confitebor malum.* *Tuscul.l.2. c.25.* Ex qvo perspicuum, ni fallor, est, habere incitamentum Philosophiæ cultores, ut doctoribus se tradant, neq; propriô studiô omnia investigare audeant. Imo, qvi aliqvando multùm sapere, & reipsâ prudentes esse volunt, commodissimè faciunt, si omnis generis doctores audiant, atq; suô judiciô posteà veritatem à falsitate secernant.

Cum Philosophiæ studio eloqventiam conjunxit. Puer adolescentulus scripsit de arte oratoria, qvod ipse testatur. *Orator.l.1. c.2.* Diodoto, & ejus artibus variis, atq; multis ita erat tamen deditus, ut ab exercitationibus oratoriis nullus dies vacuus esset. *Brut.c.90.* Athenis

apud *Demetrium Syrum*, veterem & non ignobilem dicendi magiſtrum ſtudioſè exercebatur. Cùm totam peragraſſet Aſiam, innotuit ſummis Oratoribus *Menippo Stratonicenſi*, *Dionyſio Magneti*, *Æſchylo Gnidio*, *Adramiteno Xenocli*. Rhodi ad *Molonem* haud vulgarem & Philoſophum & Oratorem ſe applicuit. *Brut. c. 91.* Eqvidem omnibus magna illa ingenii felicitas non contingit, ut tam excellentes & Oratores & Philoſophi evadant: nihilominùs in qvantum aliqvis Philoſophi nomen tueri vult, non omnimodò omnem eloqventiæ ornatum reſpuere debet. Atqve præſertim hoc cogitabunt, qvi actionibus operam dant, morumq; honeſtatem vel ſcriptò, vel ore explicant. Qvi enim ſpeculativus eſt, atq; contemplatione delectatur, faciliùs excuſatur, ſi non ubiq; elegantiam vocum ſectatur. Modò abſit ſuperbiæ nomen, ac ſi peculiare haberes jus, peculiare privilegium, rem obſcuram obſcuris atqve incognitis terminis proferendi.

CAPUT X.

Cicero virtute ad ſummos pervenit honores. Additur exilium atq; mors.

Orat. pro Planc. c. 21. QVomodò autem ex morum honeſtate ſe geſſit *Cicero?* Reſpondet ipſe pro ſe: *Primùm ut honore dignus eſſem, maximè ſemper laboravi; ſecundò ut exiſtimarer: tertium mihi fuit illud, qvod plerisq; primum eſt, ipſe honos.* Rectè agit, qvi ex virtutum cultura qværit honorem, neq; aliunde ſibi conciliare audet. Unicum enim honoris fundamentum virtus eſſe debet. Stude virtuti, omnibusqve in actionibus decus obſerva, & qvaſi ex conſalutatione accipies honorem.

Orat. pro Planc. c. 26. Ex virtutis nomine primùm Qvæſtor eſt factus, illudqve officium honeſtè & decorè adminiſtravit: *Non vereor, ne qvis audeat dicere, ullius in Sicilia qvæſturam, aut gratiorem, aut clariorem fuiſſe. Verè mehercules hoc dicam: ſic tum exiſtimabam, nihil homines unqvàm aliud Romæ, niſi de qvæſtura mea loqvi. Frumenti in ſumma caritate maximum numerum miſeram: ne-*

gotiato.

gotiatoribus comis, mercatoribus justus, municipibus liberalis, sociis abstinens, omnibus eram visus in omni officio diligentissimus. Enarrat bene virtutes, qvæ observandæ à magistratu sunt. Comitas, justitia, liberalitas, abstinentia, diligentia in munere obeundo recensentur: His additur cura, ne annonæ caritate premantur subditi. Ut larga frumenti copia suppetat & incolis, & militibus, valde hactenus soliciti fuere Principes. Hinc nonnisi speciali concessô ex POTENTISSIMI ELECTORIS BRANDENBURGICI regionibus exportatum est frumentum.

Posteà ad ædilitiam dignitatem promotus est: *Pro amplitudine honorum, qvos cunctis suffragiis adepti sumus, nostrò qvidem annò, qvod contigit eorum nemini, qvos modò nominavi, sanè exiguus sumtus ædilitatis fuit.* Non munere, sed virtute consecutus est amplissimum illum honorem. Hodiernum seculum vitiô haud caret, dum pecunia facilem ad honores facit accessum, & qvi pecuniosus atq; liberalis est, in marsupio circumfert virtutem. *Offic. l. 2. c. 17.*

Ædilitium verò munus ita describit *Cicero*: *Sunt Ædiles curatores urbis, annonæ, ludorumq; solennium, illisq; ad honoris amplioris gradum is primus esto.* *Leg. l. 3. c. 3.*

Ædilitatem excipit prætura: *In hoc spatio, & in iis post ædilitatem annis, & Prætor primus, & incredibili populari voluntate sum factus.* Dicitur Prætor primus, qvoniam primô locô factus est, ex octo illis, qvi tum creabantur. Deprehendis iterum virtutis splendorem. *Brut. c. 93.*

Memoratu dignum exemplum est, qvod sub Ciceronis prætura exhibuit C. Licinius Macer, ille enim, referente *Valeriô Maximô*, repetundarum reus, dum sententiæ diriberentur, in Mænianum conscendit, misit ad Ciceronem, qvi diceret, se non damnatum, sed reum periisse, nec sua bona hastæ posse subjici. Ac protinus sudariô, qvod fortè in manu habebat, ore & faucibus coartatis, inclusô spiritu pœnam morte præcurrit. Qvâ cognitâ re Cicero de eo nihil pronuntiavit. Videre hîc licet *L. 9. c. 12.*

primùm vigilantiam Ciceronis, Prætoris, qvi se diligentem præbuit judicem, deinde successu temporum mutati status & Reip. variationem. Cùm enim Roma libera esset mitiùs de fama & bonis eorum, qvi se metu criminis interfecissent, actum est, qvàm sub Principibus. Qvis Prætor apud Romanos dicatur ex seqventibus constat: *Juris disceptator, qvi privata judicet, judicarive jubeat, Prætor esto. juris civilis custos esto. Huic potestate pari qvotcunq; Senatus, creverit, populusve jusserit, tot sunto.*

Leg. l. 3. c. 3.

Ultimus & summus honor est consulatus: *Est illud amplissimum, qvòd hôc honore ex novis hominibus primum me multis posthabitis affecistis, qvòd primâ petitione, qvòd annò meò: sed tamen magnificentius atq; ornatius esse illò nihil potest, qvòd meis comitiis non tabellam vindicem tacitæ libertatis, sed vocem vivam præ vobis indicem vestrarum erga me voluntatum ac studiorum tulistis. Me non extrema tribus suffragiorum, sed primi illi vestri concursus: neq; singulæ voces præconum, sed unâ voce universus populus Romanus Consulem declaravit.* Consulatus ille administrabatur cum senatus consiliô, cum libertate populi, adeoq; multùm differt à schemate, qvod ab Augusto adornatum est. Hôc tempore P. Servilius Rullus, Tribunus plebis, legem agrariam promulgavit, ut Decemviri summo cum imperio crearentur, qvi in sua potestate Italiam totam, Syriam universam, eaq; omnia, qvæ virtute Pompeji recens Imperio Romano adjecta erant, haberent; venderent qvidqvid publicum populi Romani esset, judicarent de omnibus, de qvibus ipsi vellent, exsules ejicerent, colonias deducerent, pecuniam ex ærario caperent, milites, qvot opus haberent, conscriberent, & alerent; prout capita legis agrariæ refert *Plutarchus*, qvem auctorem ut Historicum simul æstimandum censemus.

Orat. 2. Agrar. c. 2.

Vitâ Ciceronis.

Bene Respublica administratur, cùm Philosophi præsunt, atq; aurea planè est vox, qvam edidit Plato: *Tum demum beatas civitates fore, cùm aut regnarent Philosophi, aut Re-*

ges

ges philosopharentur. Illa Philosophia sese non ad differendi subtilitatem, neq; ad investigationem occultarum in natura rerum, sed ad virtutem sese refert, qvam Rerumpublicarum moderatores ex Platonis sententia colere, exercere, atqve propagare debent. Imperium Romanum ad tantam magnificentiam atq; amplitudinem Heroibus illis, qvi justitiam, fortitudinem, liberalitatem, & omnem deniq; virtutem coluere, pervenit, ut ipsæ exteræ gentes superari à talibus viris, qvàm superare alias, gloriosiùs existimarent. Eqvidem Camilli, Curii, Fabricii, Fabii, Scipiones, cæteriq; præstantes viri, qvos Roma tulit, de Philosophia nihil scripsere: attamen factis, non verbis, moribus, non sermonibus philosophabantur. Tuq; ipse, Cicero, si stetisset Respublica, qvô cœperat statu, tantum operæ, & temporis in describenda Philosophia non consumsisses, qvod ipse fateris: *Utinam Respublica in homines non tam commutandarum rerum, qvàm evertendarum cupidos incidisset. Primum enim, ut stante Rep. facere solebamus, in agendo plus, qvàm in scribendo opera poneremus. Deinde ipsis scriptis non ea, qvæ nunc, sed actiones nostras mandaremus.* Simul & illud inclarescit, honestatis, atq; utilitatis rationem in regenda civitate non esse divellendam: bonus enim vir, & utilis patriæ civis bene convenire possunt, imo debent. Roma per illud tempus, qvô virtuti opera dabatur, optimè floruit, cùm avaritia, injustitia, ambitio irreperent, ruebat, & de felicitatis statu magnô impetu deturbabatur. *Offic. l. 2. c. 1*

Utile etiã est Reip. per gradus ad dignitates ascendere. Sicuti n. natura saltum facere nõ solet, ita neq; ad arduas res gerendas, summumq; capessendum regimen statim aptus eris. Priùs in minoribus curationibus, magistratibusq; prudentem ac diligentem te præbe, tunc ad majores summosq; honores perveniendi, aperta erit via.

Qvod verò porro præmium bene administratæ Reipublicæ tulit Cicero? Exilium. Vicissim ipse pro se loqvatur: *Civis*

(intel-

Orat. pro P. Sex. c. 24. (intellige Ciceronem) *erat expulsus, is, qvi Rempublicam ex Senatus auctoritate cum omnibus bonis defenderat, & expulsus non aliô aliqvô, sed eô ipsô crimine. Erat autem expulsus sine judicio.* Nefariè enim convenerant Piso, Gabiniusq; Consules, & Clodius Tribunus plebis, beluæ veriùs, qvàm homines dicendi, omnibus modis laborabant, ut è medio tollerent Ciceronem, qvod cùm fieri sine multorum strage non posset, urbe cessit, neq; servis armatis bonorum vitam objecit. Retinuit verò in exilio etiam magnum animum. Nam Philosophia magnam in hominum animis efficit firmitudinem, qvam nullus infortunii turbo convellere, ac labefactare possit. Illô tempore Ciceroni non amicissimos fuisse Cn. Pompejum, atq; Cæsarem satis manifestum est: uterq; multùm valebat & auctoritate, & potestate, atq; si ambitionis studium abfuisset, forsan patriæ conservator patriam relinqvere non coactus fuisset. Orat. pro P. Sex. c. 20. Non igitur qvadrat in illos, qvod *Cicero*, de teipso prædicas: *Si mihi in aliqvâ nave cum meis amicis naviganti, hoc, judices, accidisset, ut multi ex multis locis prædones classibus eam navem se oppressuros minitarentur, nisi me unum sibi dedissent, si id vectores negarent, ac mecum simul interire, qvàm me tradere hostibus mallent, jecissem me ipse potiùs in profundum, ut cæteros conservarem.* Alia est vera, alia fucata amicitia. Illa vel maximè in adversis rebus juvare vult, atq; oppressum amicum erigere conatur; hæc non nisi rebus jucundis delectatur, atq; ad voluntatem nostram fluentibus, tunc testatur, & offert omnem studiorum promtitudinem. Seqvebatur ergo ut lamentareris: *Vides me omnibus amplissimis, carissimis, jucundissimisq; rebus perfidiâ hominum spoliatum; vides me à meis consiliariis proditum & projectum.* Ultimò, nefandâ morte peremtus Hist. Rom. l. 2. c. 66. est Cicero, qvam præ aliis auctoribus graviter describit *Paterculus*. Hic est exitus clarissimi Consulis Reipublicæ Romanæ, qvi patriam moribus instituit, qvi virtutem & coluit, & alios colere jussit.

CAP. I.

Tituli Ratio.
Grotii Laus.

NE forsan exprobrandam mihi insolentiam tituli aliqvis existimet, dum inscribitur nova Philosophia Moralis, non præter rem erit causam denominationis hujus in medium afferre. Nihil novi hic tractatur aut explicatur, veteribus qvæ cognita recensentur, atq; examinantur: Sed non latere potest vel mediocriter doctum, & interiores literas primis labris delibantem, qvàm angustis finibus Philosophia Moralis vulgò claudatur, ac si undecim virtutum vocabulis, serie sententiarum de ultimo fine constituendo, principiis actionum rudi tantùm modô expressis, absolveretur. Amplior longè campus est Philosophiæ Moralis, qvæ magnâ jucunditate per omnem antiqvitatem, ex perpetua atq; naturali lege omnem rem, in qvantum honestas ac turpitudo patet, dijudicantem, Philosophum nostrum ire vult & jubet. Hac igitur vice sisto sub nomine novæ Philosophiæ Moralis Compendium Moralis Doctrinæ à vulgari eatenus diversum, qvatenus interioris hujus scientiæ fores aperit, neq; in exteriore & communi cognitione acqviescit. Est illud seculum, qvo hæc Philosophiæ pars, rejectô sqvalore, magnâ venustate se conspiciendam præbet, & qvod anteà non factum sub habitu veluti disciplinæ tractatur. Præivit Grotius, qvi uti à Deo ad literas ornandas singulariter excitatus, ita nihil omisit, qvod ad illustrandum studium Morale, atq; ad novum decus conciliandum pertinet. Tanta inest auctori facilitas, tanta dicendi facultas, ut res gravissimæ, intellectu difficillimæ, in clara luce ponantur. Qvomodò verò ex locis reconditis, ex antiqvissimis monumentis, qvibus etiam clarissimos qvosqve recentiores scriptores addidit, scientiam eruerit, tota scribendi ratio indicat. Gallia tantorum virorum mater non alium aptiorem doctorem illorum

myſteriorum æſtimat,& in hoc laudando copioſa eſt: Locuples hujus rei teſtis eſt magnus vir Nicolaus Claudius Fabricius Peireſcius. Capiat igitur laudes primæ ſortis ingenii Grotius;qvibus non contingit tantas exæqvare laudes,illi in ſecundo,vel inferiore gradu ſubſiſtent. Dum hæc talia calamus ſuggerit, admirabile opus de Jure Belli & Pacis indigitari, facilè animadvertet benevolus lector, cui operi illuſtrando, locupletando, integrando,tot excellentisſimi viri operam hactenus dederunt. E commodo rei literariæ foret, ſi aliqvis ſecundùm modum analyticum conficeret juſtum Jurisprudentiæ naturalis opus, omnia ex cauſis demonſtrativis peteret, juſtô ordine principia atq; concluſiones poneret. Vir nobilisſimus Dn. *Johannes à Felde*,uti jam ſpecimen edidit accuratarum demonſtrationum: ita huic diſciplinæ pro ſumma doctrina, qvâ pollet,magnum ornamentum aliqvando, ut ſpero, conciliaturus eſt.

Elem.

CAPUT II.

De Jure Naturæ.

Obſcuram reddidit diſputationem de jure naturæ definitio illa Ulpinianea; qvâ in ſocietatem juris naturæ bruta animantia recipiuntur. Uti enim magna eſſe debet veterum Jureconſultorum auctoritas ob magnam prudentiam atq; eruditionem: ita non defuere olim viri ſummi, neq; adhuc deſunt hodie,qvi commodam verborum ſententiam qværunt. Illuſtre Leucoreæ noſtræ ſydus *Dn. Zieglerus* poſt multas in medium allatas rationes atq; ſententias fatetur: *hanc definitionem non eſſe eſſentialem à cauſis internis,ſed accidentalem tantùm.* An enim illa conſtantia,qvam bruta in ſuis actibus obſervant, aliqvod jus efficiet? an merus inſtinctus naturalis aliqvàm obligationem inferet? Nonne potiùs ita colligendum, ubi juſtitia nulla, ubi nulla juſti denominatio, ibi nullum jus ponendum eſt? Et ſi definitiones ex propriis vocibus conſtare debent, forſan non vitiò caret, dum natura ut doctor omnium animalium introducitur.

Not. Grot. l. 1. c. 1. §. 11.

Bene igitur *Grotius* ab Ulpianea definitione sibi recedendum existimat. Non autem videtur rectè jus naturæ per dictatum rectæ rationis definiri: illud enim dictatum inservit tantùm cognitioni, ut homo cognoscat, qvæ juris naturæ sint, ad constitutionem nihil faciens. Confer *Osiandrum* hunc communem errorem de dictamine rectæ rationis prolixè refutantem. Rectiùs dicitur, constitui jus naturæ per illud, qvod est honestum: sponte subseqvitur dictamen rectæ rationis, ut actio suscipiatur, vel omittatur, prout vel honesta, vel inhonesta est. Ubi notandum illud dici honestum, qvod cum bono morali convenit naturæ rationali in suis liberis actionibus, qvatenus est rationalis. Hic igitur intelligitur honestum, qvod in se tale est, non sub aliqva hypothesi. Habuit Deus leges, ex nuda ejus voluntate obligantes, ut dubium non sit, qvin contrarias sancire potuisset. Sed qvæ in se honesta, ullô modô mutari neqveunt, qvoniam Deus per sanctitatem suam non potest aliter rectè, qvàm ut ab hominibus honestè coli velit. Porro observandum voluntatem divinam à præcepto esse distingvendam. Voluit ab æterno Deus ut honestum coleretur, neq; tamen honestum ab æterno præcepit, qvoniam præceptum cum homine condito demum initium cepit.

l.1.c.1.§.10.

Annot. in Grot.

Non incongrua juris naturæ definitio erit, qvòd sit regula hominibus mediante intellectu practicô, atq; internô motu sub metu iræ & pœnæ divinæ præscripta, ut conseqvantur finem sibi convenientem.

Vocem regulæ accuratô, ut solet, judiciô examinat Dn. *Valentinus* Velthem in Academia Jenensi Professor, cujus in scribendo facilitas non potest non lectorem excitare. Alii termino normæ utuntur, qvi pro hoc instituto idem dicit.

Introduct. ad Hug. Grot, p. 42.

Intellectus in homine duplex est, theoreticus atq; practicus: ille in contemplando acqviescit; hic in agendo modum & leges ponit. Dum verò disciplina Moralis talis est, qvæ agendô, non contemplandô absolvitur, intellectus practicus hic munere suô fungitur.

Jus naturæ à Deo originem habet, atq; ex interna conſcientia homo animadvertit, ſi detrectat obſeqvium, Deum vel mille mala ingerere poſſe. Qvapropter incautè loqvitur de illis juris præceptis *Grotius: Locum aliqvem habere, etiamſi daremq, qvod ſine ſummo ſcelere dari neqvit, non eſſe Deum, aut non curari ab eo negotia humana.* Non enim juris naturalis ratio ſine imperio & indicatione divini Numinis dari poteſt. Ilioneus apud *Virgilium* cùm contra naturæ jus à litore arceretur ait:

Proleg.

Æneid.l.1.

Si genus humanum, & mortalia temnitis arma,
At ſperate Deos, memores fandi atq; nefandi.

Tales plures extant ſententiæ, qvæ Deum vindicem vocant. Eqvidem fuere gentes, qvæ legem naturæ contrariâ qvadam lege oppreſſere, prout magnô ſtudiô docet celeberrimus Vir *Georgius Calixtus*. Sed qvemadmodùm omnis res judicanda eſt ex ſua perfectione: ita obverti non poteſt, qvòd perverſus intellectus aliter docet, qvàm fieri debeat.

Theol. Moral. de Leg. p. 49. uſq; ad 59.

Finis hominis in agendo triplex eſſe cenſetur, primùm reſpectu Dei, deinde ratione proximi, tum ſui ipſius. Nullum aliud animal cognoſcit creatorem conſervatoremq; hujus univerſi, aut de divina perfectione cogitare poteſt, qvàm homo, hinc internis ſtimulis ad laudes Dei celebrandas agitatur. Qvoniam inſuper ſocietas naturalis eſt, ad illam confert omne ſtudium, diſpenſat officiorum genera, qvantum patriæ, qvantum ſangvine junctis atq; amicis debeat, perpendens, neq; peregrinum à bonorum communione excludens. Sui ipſius rationem habet diligentem; hinc præparat ea, qvæ ad cultum victumq; neceſſaria, nocitura declinat, atq; ſobolem procreare jucundum ducit.

Alii multa de jure gentium loqvuntur, ac ſi illud diſtinctum foret à jure naturæ, neq; inſitam hominum mentibus vim haberet, ſed ex voluntate tantùm obligationem caperet. Non aliter ſentit *Grotius*, cujus verba ſunt hæc: *Jus gentium eſt, qvod gentium omnium aut multarum voluntate vim obligandi accepit.*

L.1. c.1. §.14.

Earum

Earum rerum,qvæ ex voluntate humana dependent, vix consensus dabitur inter omnes gentes,hoc Grotius animadvertens, subsidium qværit in multarum gentium consensione.Unde verò illa consensio atq; mutua voluntas? Estne expressa an tacita? De expressa,qvâ pactione inter se gentes jus constituerint, nihil legitur;ergo ad tacitam consensionem recurrendum erit, atq; subsumendum ex imitatione aliarum gentium legem enatam. Sed vix dubium,qvin hac ratione denotetur jus civile, qvod ad melius intelligendum non incommodè jus civile plurium gentium indigitatur.Si autem ex insita hominum mentibus vi oritur jus gentium,certè non aliud,qvàm naturale intelligitur. Ergo supervacanea illa juris gentium distinctio à jure naturæ & civili.Apud Jureconsultos eqvidem distingvitur jus gentium in primævum atq; secundarium: sed illud ipsis non aliud significat,qvàm naturæ jus: hoc non ex pactione gentium,sed ex usu, qvem cum cæteris gentibus populus Romanus ex voluntate legislatoris communem habuit,originem trahit, adeoq; juris civilis nomine meritò venit.Ita veteres philosophati sunt, ut non de alio,qvàm jure naturæ & civili loqverentur, siq; mentionem facerent juris gentium, ipsum jus naturæ intelligerent. Memorabilis est locus *Ciceronis:Non solùm naturâ,id est,jure gentium,sed & legibus populorum, qvibus in singulis civitatibus Respublicæ continentur,eodem modô constitutum est.* Commutantur hôc locô naturæ & gentium jus,atq; ne dubitatio lectori occurrat additur explicatio. Cui respondet alius locus: *Maj. aliud jus gentiū,aliud jus civile esse voluerunt. Qvod enim civile non idem continuò gentiū,qvod autem gentiū idem civile esse debet.* Ac si qvis ulterioris descriptionis gratiâ diceret:Aliud est jus naturæ,aliud jus civile,præter hæc aliud excogitari nulla necessitas imponit: sed qvod juris civilis est,non statim ad jus naturæ referendum, qvoniam legislator pro statûs sui ratione legem immutat. Naturæ autem jus unum idemq; est,neq; diversitate gentium diversum redditur:imo ex hoc jure omnes leges civiles petendæ,

Offic.l.3.c.5.

Offic.l.3.c.17.

ut cum natura ad rectè colendam societatem conveniant. In corpore juris civilis nomina hæc sæpe misceri, exemplis in medium adductis docet magnificq Dn. *Zieglerus*, qvem Virum utpote ad rem literariam augendam ornandamq; à natura factum, Deus qvàm diutissimè superstitem esse velit!

Proleg. Grot. p. 35.

Hoc naturæ jus immutabile est. Ab homine certè nullam mutationem patitur; & licèt aliqvis naturæ vim inferat, inde tamen non mutatur, neq; ex turpitudine honestas, neq; ex honestate turpitudo conficitur. Deus etiam uti immutabilis est, ita nihil mutabit, qvod ex sanctitate sua sancivit. Itaq; honesta semper manent eadem, & qvæ hodie honesta peracta sunt, aliò tempore minimè turpia erunt. Licet verò destructione hujus universi præcepta juris naturæ qvædam pereant, dum hominum status mutatur: non tamen in contrarium mutantur, ac si turpitudo in honestatem migraret.

CAPUT III.
De Jure Civili.

De jure civili seu legitimo, qvod aliàs positivum vocatur, pro instituto nostro, pauca dicenda sunt. Format qvælibet Respublica peculiares sibi leges ad conseqvendum finem suum. Nonnunqvam leges addendo detrahendoq; immutantur nonnunqvam veteres tolluntur, novæ super inducuntur. Hæc omnis mutatio ad statumReip. ita dirigitur, ut necessaria esse videatur. Non enim mutatâ Republicâ, atq; aliter planè formatâ, eædem leges valere possunt. Versatur itaq; lex civilis circa res arbitrarias, qvæ mutari ab humana voluntate possunt.

Non incongruè autem ita definitur: Jus civile est regula actionum humanarum circa negotia, qvæ utilitatem certæ societatis concernunt, occupatarum, ut secundum illam vel unius, vel paucorum ex societate, vel omnium utilitas attendatur.

Obligat

Obligat lex civilis & animum & voluntatem. Qvi enim ex potestate sua legem ponit, omnibus modis obseqvium exposcit. Sed qvoniam nemo hominum cogitata novit, judex civilis ab actionibus externis concludere solet, an lex observata sit, an minùs. Hæc causa est, qvare tam animo, qvàm corpori lex præscribi videatur.

CAPUT IV.

De Jure Permissivo.

Qvoniam duplex est lex naturalis & civilis, duplex inde oritur jus permissivum, qvod ita explicat *Grotius*: *Permissio propriè non actio est legis, sed actionis negatio, nisi qvatenus aliũ ab eo, cui permittitur, obligat, ne impedimentum ponat.* De naturali lege rectè dicitur, qvæ non in illa jubentur aut vetantur, esse juris permissivi, ut aliqvid sine imminentis poenæ metu & agi qveat, & omitti. Modò notetur esse juris naturalis non solùm principia, qvorum veritas statim per se nota est, sed etiam, qvæ ex illis principiis certâ ratione deducuntur. In qvo genere gradus esse, & pro iis jam majorem, jam minorem obligationem reperiri, nemo non animadvertit. *l. 1. c. 1. §. 9.*

Juris civilis permissivi ratio vicissim duplex est; aut enim permissio expressa aut tacita intelligitur. Illa claris expressisq; verbis actionem permittit, qvando aut lex, aut privilegium aut responsum, & rescriptũ Magistratus extat; unde talis actio robur veluti & vim acqvirat. Hæc qvæ tacita vocatur, connivẽtiâ, simulatione & dissimulatione legislatoris consvetudinis jus induit. Bonꝰ legislator nõ semper ex voluntate sua atq; ad perfectũ jus naturæ leges conficit: sed haud rarò accommodat sese ingenio civium, temporum necessitati & pro illorum vicissitudine, haud rarò ea tolerat, qvæ non adeò justa sunt. Ad tacitam permissionem spectat præteritio: puta legislatorem omnes casus vetitos in qvadam lege recensere voluisse: ergo qvod non est prohibitum, permitti tacitè intelligitur.

Sed

Sed multæ leges civiles de fragilitate humana loqvuntur, atq; jus permisſivum faciunt, ubi ex jure naturæ perfectisſimo nulla forſan permisſio locum habet. Vivimus poſt lapſum in ſtatu legali atq; imperfecto, poſtqvàm naturalis omnem perfectionem continens lapſu primorum parentum perditus eſt. Dum verò ob imbecillitatem noſtram ſtatûs naturalis perfectionem non attingim9, non omnino malè nobiſcum agi videtur, ſi legitimum conſeqvimur. Explicat naturalis & legalis ſtatûs diſtinctionem accuratisſimè Vir omni doctrina excellentisſimus Dn. *Thomaſius*, qvæ obſervatio qvantam habeat utilitatem, his literis eruditum hominem minimè latere poteſt. Sed redeo ad jus permisſivum. *Pomponio* Jurisconſult9 ait: *In pretio emtionis & venditionis naturaliter licere contrahentibus ſe circũvenire.* Ubi terminus naturaliter pro jure gentium ſecundario accipiendus, gentibus enim ita receptum, ut circumſcriptio inter emtorem atq; venditorem licita ſit. Vel uti *Grotius* habet: *Naturaliter poſitum eſt, pro eo, qvod recepti paſſim moris eſt.* Sed jus naturæ primævum aliud vult, omnem circumſcriptionem illicitam pronuntians. Imperator *Diocletianus* ſtatuit: *Minus pretium videri, ſi nec dimidia pars veri pretii ſoluta ſit.* Hæc iterum multam habent dubitationem, qvando de foro conſcientiæ & jure naturali divino, qvod ſedulò ab omni injuria abſtinere jubet ſermo ſuſcipitur. Qvæ Dn. *Rachelius* in Holſatorum Academia juris naturæ & gentium Profesſor clarisſimus obvertit, non aliud dicunt, qvam licitam eſſe circumſcriptionem ex jure gentium ſecundario. Maneat igitur vera *Pauli* Jure conſulti regula: *Non omne qvod licet honeſtum eſt.* Item *Modeſtini: Semper in conjunctionibus non ſolum, qvid liceat, conſiderandum eſt, ſed & qvid honeſtum ſit.* Qvod ſcilicet licitum eſt jure civili ſæpius pugnat cum jure naturæ. Ergo ut honeſtas obſervetur abſtinendum eſt à tali licito & ſi vel maximè nulla pœna civilis metuenda, non tamen ceſſabit illa obligatio ex ſuperiore lege, id eſt, à jure naturæ proveniens poenamq; dictitans.

Phil. Pract. Tabell. Annot ad Tab. 13. p. 40.

l. 16. §. 4. D. de minoribus.

l. 2. c. 12. §. 16.

l. 2. C. de reſcindenda venditione.

Comment. ad Offic. Cic. l. 3. p. 475. ſeqq.

l. 144. de R. J.

l. 197. de R. J.

CAP.

CAPUT V.

Principium honestarum actionum est Deus.

VIrtutum consideratio ad ipsum Deum nos ducit. Illud discrimen turpium atq; honestorum, qvod mentibus hominum impressum, primùm indicat æternum ens esse, unde hæc tam pulchra natura oriatur. Deinde docet, qvòd omnes virtutes singularissimô modô in Deo emineant: utitur homo rectà ratione, qvæ illum non nisi ad honesta instigat, ut animum variâ cognitione exornet, ut justitiam, liberalitatem, cæterasq; virtutes observet: Ergo prima causa, id est, Deus erit sapientissimus, justissimus, benignissimus, & qvæ alia excellentissimô gradu de Deo prædicari possunt. Tum considerare virtutes evincit Deum esse judicem. Homo virtutem colens tranqvillo est animô, lætatur secum de egregiis factis: contrà vitiosus homo cruciatus ob malè facta sentit in animo. Non aliter philosophatur *Philippus Melanthon*, qvondam totius Germaniæ præceptor dictus, nunc in obscuro latens; & verò è studiosæ juventutis commodo foret, tanti viri scripta, qvæ solida Philosophiæ fundamenta ostendunt, sedulò manibus volvi. *Philosoph. Moral.*

Dum autem ex naturæ lumine homo cernit, qvòd sit Deus, & qvalis secundum essentiam, de debito cultu cogitationes suscipit. Deum itaq; colit cùm actibus interioribus, tùm exterioribus, præstantissimam hanc judicans actionem. Se omnia ex liberali Dei manu habere deprehendit: itaq; gratus esse vult veneratione pioq; animô, qvoniam Deus nihil aliud poscit. Neq; in arbitrio positum censet, an cultum suscipere, an omittere velit: cùm ipsius animus ad Deum colendum impellatur, & nulla tam barbara gens sit, qvæ non suum Deum religiosà veneratione proseqvatur. Christianus novit, illum cultum non à peccato originis oriri: in statu enim innocentiæ Deus qvoq; celebratus fuisset tanqvàm conditor & conservator hujus universi. Neq; desinet in alterà post hanc mortalitatem

vita cultus divinus, ubi cum illo æterno perfectissimoq; bono conjungemur, ejus sanctitatem cum Angelis perpetuò celebrantes.

CAPUT VI.

De Natura Matrimonii. Reqviritur Justa Ætas. Jus Consangvinitatis, Jura Affinitatis attendenda. Reqviritur ad Matrimonium Consensus Parentum. Disputatur de Polygamia, de Concubinatu.

AD matrimonium ineundum instigat natura. Est hic appetitus procreandi sobolem cum brutis communis: sed in homine simul est ratio, ut intelligat mutuum subsidium, communionemq; mutuam, & non tam sobolem procreare, qvàm bene educare velit. Ratio obligationem dicit, ut mas & fœmina ad hæc officia se obstrictos sentiant. Hunc in modum philosophatur *Aristoteles*, qvi non unô locô tangit atq; explicat hanc doctrinam.

Eth.l.5.c.12. *Polit.l.1.c.1.* *Oecon.l.1.c.3.*

Mari ob naturæ præstantiam competit imperium, qvod ita comparatum esse debet, ut æqvum censeatur, & consilium mulieris non ubiq; spernatur.

Qvà verò ætate, & qvi homines in matrimonio conjungendi, docet virtus temperantia. *Aristoteles* qvando de apta ætate agit, non de alia virtute, qvàm temperantia loqvitur:

Polit.l.7.c.16

Πρὸς σωφροσύνην συμφέρει τὰς ἐκδόσεις ποιεῖσθαι πρεσβυτέρας· ἀκολαστότεραι γὰρ εἶναι δοκοῦσι νέαι χρησάμεναι ταῖς συνουσίαις· *Conducit ad temperantiam, collocari in matrimonium grandiores: intemperantiores enim esse videntur, cùm adolescentulæ usæ fuerint Venere.* Justà enim ætate appetendum matrimonium, ut perfecti cives procreari possint: immatura ætas non nisi fructum imperfectum edet. *Jus* verò *civile Romanum* masculis majoribus

§. qvib. mod. tut. finit.

ribus qvatuordecem annis, & fœminis majoribus duodecim annis permittit matrimonium. Deinde temperantia præscribit, ut jus sangvinis atq; pudor naturalis observetur. Uti enim *Paulus* Jureconsultus habet: *In contrahendis matrimoniis naturale jus & pudor inspiciendus est.* Qvare nullô modô licita esse possunt matrimonia inter patrem ac filiam, vel filium atq; matrem: solveretur enim naturalis ordo atq; mutuum officium, qvod perpetuum esse debet; & ille naturalis horror ex convenientia ejusdem sangvinis tale matrimonium non permittit. Hanc ob causam Adamus primus humani generis parens, si hôc die viveret, in tanta hominum multitudine non inveniret fœminam, cum qva matrimonium inire posset. Idem naturæ jus fratres & sorores à matrimonio abstinere jubet: conveniunt in uno patre vel matre una, qvæ sangvinis convenientia horrorem excitat, ne tale matrimonium contrahatur. Neq; verò fratris & sororis conjunctio ex rigore juris naturæ simpliciter prohibetur, qvoniam initiô mundi Deus voluit, ut frater sororq; conjungerentur. Nullam hîc necesse est fingere indulgentiam, aut regulæ universalis qvandam exceptionem, cùm Deus nunqvàm contra naturæ jus agat. Lubet adducere verba magnifici *Dn. Ziegleri*: *Sororem ducere uxorem, in se & sua natura malum non est, nec pugnat adeò cum jure naturæ primævo; sic enim non potuissent Adami filii ducere suas sorores.* Qvemadmodùm intemperans censetur, qvi appetit cibos tanqvàm delicatulus, à qvibus reliqvi homines abhorrent: ita intemperans qvoqve est, qvi ut delicatulus suam sororem, qvô cum ipsa rem habeat, eligit. Sed necessitas non habet legem, atq; deficiente commodô cibô, illô utendum, qvô alias natura abhorreret. Non igitur intemperans hac ratione dicendus, qvi ex necessitate sororem habuit in matrimonio, qvoniam aliter genus humanum propagari non poterat. *Romani* consobrinorum matrimonia concedebant: sed ob reverentiam sangvinis prohibenda esse videntur. Contingit enim plerumq; unam perso-

l.14. §.2. D. de ritu nuptiar.

Not. in Grot. l.1.c.1.§.10.

J. § 4. de nuptiis.

nam ex consobrinis avum vel aviam vidisse, unde identitas sangvinis latere non potest; imo sufficit cogitatione ac mente deprehendere sangvinis convenientiam. Porro *jus Romanum* pronunciat: *Amitam ducere uxorem non licet; item nec materteram, qvia parentum locô habentur.* Sed pro veriore ratione iterum adducere possum convenientiam sangvinis: amita enim habuit cognitum suum patrem vel suam matrem, & ita cum fratris filio identitatem sangvinis sentit; qvod etiam obtinet in matertera. Ex his cernimus qvare Pontifex Romanus minus rectè prohibuerit matrimonium usq; ad qvartum gradum inclusivè: fieri enim neqvit, unam harum personarum, qvæ ratione stipitis intercedit, convenientiam sangvinis sentire. Hoc verò est ridiculum ad tot gradus prohibitionem esse faciendam, qvòd qvatuor sint elementa Conf. *Dn. Zieglerum*, Virum nunqvàm sine laude dicendum, qvi historiam ac institutum Pontificum de gradibus prohibitis accuratissimè examinat. Affinitatis insuper veneratione à qvarundam nuptiis abstinendum. Homo naturalem horrorem concipit, qvando cognatus vel cognata cum qvadam persona rem veneream exercuit, ut cum illa minimè conjungi velit. Sed in hisce personis tantus non deprehenditur horror ac in cognatis ipsis. Interim tamen à tot gradibus affinitatis in nostris terris prohiberi solent matrimonia, ad qvot gradus inter cognatos. Rem ita explicat Jureconsultus celeberrimus Dn. *Struvius*: In *Electoratu Saxonico licet inter personas non intercedat aliqvis respectus parentum & liberorum, tamen propter venerationem affinitatis tertius qvoq; gradus in linea collaterali inæqvali est prohibitus.* Plura adducere nolo, & sufficit rationem indicasse, qvare jus civile & constitutiones nostræ ecclesiasticæ inter affines prohibeant matrimonia.

§ 2. c. l.

Notis ad Lancelloti Jur. Canonici Instit. p. 460

Jurisprud. Rom. Germ. §. 6. de sponsalibus.

Ut licitum sit liberorum matrimonium, jus naturæ vult, ut consensus habeatur parentum. *Grotius* de solo officio filiorum atq; reverentia loqvitur, non de necessitate. Hic omnino personæ

§ 2. c. l. § 10.

personæ distingvendæ esse videntur. Qvando enim liberi adhuc sunt in familia parentum, tunc ad justum matrimonium constituendum parentum consensus necessarius esse videtur, atq; illorum dissensu matrimonium injustum atq; illicitum erit. Intelligo æqvam patris voluntatem: cùm æqvitas semper spectanda sit, qvam ob causam *Jure civili* cogi possunt parentes ad consensum. Qvi extra familiam constituti liberi, officiô etiam atq; dignitate publicâ funguntur, suam nanciscuntur libertatem, tunc enim parentes non adeò urgent, ut filius, qvoniam sibi bene consulere potest, consilium imploret. Sunt haud raró parentes ætate ingenioq; debiles: ab illis igitur filius rationes administrandæ domus optimè dijudicans, commodum consilium vix petet. Manere verò debet perpetua observantia, qvâ parentibus obstricti sunt liberi.

l. 19. D. de ritu nupt.

An polygamia sit contra jus naturæ acriter disputatur, & vigent controversiæ inter Theologos, Jureconsultos, Philosophos. Qvi pro affirmativa stant sententiâ & ratione & testimoniis scripturæ sacræ nituntur. Non enim intelligi posse naturam matrimonii nisi de mutua obligatione in corpus, qvæ tolleretur, qvando vir non uni, sed pluribus mulieribus conjunctus. Esse communem regulam: Qvod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Dum itaq; vir non plures admittere vult veluti adjutores, neq; plures superinducere debet uxores. Etiamsi autem consentiat foemina ac suum jus non urgeat; inde tamen vitium non tolli. Consensus enim aut violentiâ; qvæ tyrannidis speciem habet, extorqvetur, aut imbecillitate judicii nititur: nullibi conficitur jus, & qvod consvetudine veluti introductum est, si in se vitiosum, nullum jus constituer. Testimoniis divinis utuntur, qvando polygamiam cum primæva institutione pugnare asserunt, qvando ex decalogo, in qvo jus naturæ continetur atq; explicatur, præceptum repetunt de adulterio non committendo. Illud enim non tantùm ad fœminas spectare, sed etiam ad maritos; ut adeò in thorum recipiendô alteram fœminam,

 pactum

pactum matrimoniale cum priore initum violetur, atqve adulterium committatur. Qvi ex contraria parte, atq; negativa stant, polygamiam non adversari juri naturæ, hæc argumenta refutatu facilia esse arbitrantur. Primum enim qvod concernit, concedunt mutuam esse viri & foeminæ obligationem atq; reciprocam de potestate in corpus: sed negant exinde inferendum: ergo viro non licere corporis sui copiam alteri facere; dum enim utraq; est conjux, utraq; jus in corpus mariti sibi vendicat. Ad secundum respondent, nullam fieri foeminæ injuriam, qvando vir plures in thoro habet fœminas. Esse maximum discrimen inter virum atq; foeminam. Hæc ita in potestatem unius viri transit, ut alius nihil juris in eam habeat, neq; corporis communionem petere possit. Sed vir uti uni fœminæ est obligatus ratione pacti matrimonialis præstare debitum matrimoniale: ita non impeditur pluribus illud debitum præstare, atq; corpus suum facere commune. Ubi igitur inæqvalitas est personarum, ibi non simpliciter subsumendum esse colligunt: Qvod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Fieri etiã posse, ut una fœmina de altera superinducenda liberaliter consentiat, prout piissimus Abraham ex voluntate Sarai alteram duxit fœminam Hagarem. (Gen. 16, 3.) Qvod tertium attinet, ac si primæva conjugii institutio matrimonium prohiberet, excipiunt, Deum instituisse matrimonium, prout una est atq; simplex societas: sed hoc ipsum ratione conjugii planè accidentale esse, cùm & plura conjugia coalescant in unum. Exemplum esse capiendum de societate paterna atq; herili, ubi pater aliqvis est sæpe plurium liberorum, atq; aliqvis dominus plurium servorum. Accedere insuper aliam rationem, qvæ urgeat polygamiam non esse illicitam jure naturæ: Patres in veteri testamento tantæ sanctitatis viros, qvi cum ipso Deo in colloqvium trahebantur, ejus vocem atq; jussa audiebant, non abstinuisse polygamiã. Neq; ad dispensationem divinam fugiendum, cùm Deus dispensare neqveat circa ea, qvæ sunt turpia. Neq; tolerantiam divinam nominan-

dam

dam, ac si nævum atq; peccatum tolerasset Deus: subesse enim iterum inexplicabilem difficultatem, qvoniam illi viri sine dubio juris naturæ præcepta bene cognita habuere, neq; voluntate suà contra illa egere.

Alia longè ratio est cum concubinatu, qvi omnino repugnat juri naturæ, dum pro fine non habet procreationem generis humani. Intelligo igitur illum concubinatum, qvô aliqvis incontinentiæ tantùm causâ cum qvadam contrahit, qvam pellicem, amicam, concubinam appellare licet. Has denominationes annotat *Paulus* Jureconsultus: *Massurius scribit, pellicem apud antiqvos eam habitam, qvæ cùm uxor non esset, cum aliqvo tamen vivebat, qvam nunc verò nomine amicam, paulò honestiore concubinam appellare.* Hic concubinatus, ab illo, qvi veri matrimonii rationem ex natura habet, distingvendus. Ita apud Romanos inter servum & ancillam, inter liberos & servos non qvidem nomine, sed re ipsâ dabatur matrimonium. Ex his dictis patet, non accuratè philosophari *Grotium*, qvi in se diversissima confundit, falsâ nitens matrimonii definitione.

l.144. de verbum significat.

l.2.c.5.§.15.

CAPUT VII.
De Potestate atq; Auctoritate Parentum in Liberos.

SI de origine potestatis atq; autoritatis parentum qværitur, cur liberis imperetur, & à liberis cultus observantiaq; deferatur, dicendum erit, qvòd generatio tam nobilem effectum producat: qvia enim parentes sunt, qvia generarunt liberos, tali potestate atq; auctoritate ornantur.

Sed multùm differunt potestas atq; auctoritas: Hæc enim perpetua est, nullâ liberorum eminentiâ tollitur. Qvomodò sapientissimus Regum Salomon matrem coluerit testantur literæ sacræ. In Persia nefas erat filium in conspectu matris sedere, nisi cùm illa permisisset, qvod exemplum Alexander M. in Sisygambi

1.Reg.2.19.

Curtius l.5.c.2.22.

bi imitatus eſt. Sit parentum manifeſta injuria, profundant opes, qvæ liberis relinqvenda, negligant educationem; non ceſſare tamen illa obſervantia debet, qvâ ex naturali lege obſtricti ſunt liberi. Nam dum poſt Deum auctores vitæ exiſtunt, an par illis gratia referri poterit? annon injurias æqvô animô ferre, qvàm honoris cultum omittendô, injuriam illatam ulciſci melius erit?

Poteſtas atq; imperium ad tempus illud ſpectare videtur, qvô liberi adhûc ſunt in familia parentum. Illa poteſtas concedit parentibus jus, ut extremâ neceſſitate atq; egeſtate cogente liberos vendere poſſint. Ex malis minimum eligendum eſt: ſed majus malum dicendum, accerſere mortem, qvàm liberos ſervituti ſubjicere. à ſervitute liberari non una datur occaſio; vita ſemel amiſſa nunqvàm reſtituitur.

l.11.D.de liberis & poſthumis l.ult. C.de patria poteſtate. Inſt.de patria poteſt.

Jus Romanum nimis amplificat Patrum poteſtatem, dum illis in liberos jus vitæ ac necis concedebat. Unde etiam illud eſt *Nulli alii ſunt homines, qvi talem in liberos habeant poteſtatem, qvalem nos habemus.* Videtur poteſtas hæc patria exinde deſcendiſſe, qvòd Reſpublica Romana valdè bellicoſa eſſet; propterea inſtigabat cives Romanos præmiis ad procreationem liberorum, qvò in promtu ſemper eſſet hominum copia: itaq; inter alia jus vitæ & necis præmii locô numeratum eſt.

CAPUT IIX.

De Dominio atq; Servitute.

SUnt homines, qvos natura egregiis animi dotibus inſtruxit, ut posſint ſibi aliisq; præeſſe: ſunt contrà alii tam ſtupidi, atq; à ratione alieni, ut ad parendum facti eſſe videantur, in qvibus defectus animi per robur corporis compenſatur. Uti enim habet *Ariſtoteles:* βούλεται μὲν οὖν ἡ φύσις καὶ τὰ σώματα διαφέροντα ποιεῖν τὰ τῶν ἐλευθέρων καὶ τῶν δούλων. τὰ μὲν ἰσχυρὰ πρὸς τὴν ἀναγκαίαν χρῆσιν. τὰ δ᾽, ὀρθὰ, καὶ ἄχρηστα, πρὸς τὰς τοιαύτας ἐργασίας, ἀλλὰ χρήσιμα πρὸς πολιτικὸν βίον. *Vult igitur natura corpora qvoq; diſcrepantia facere liberorum hominum & ſervorum:*

Pol.l.1.c.3.

hæc

hæc qvidem firma validaq́, ad usum necessarium : hæc autem recta, & nullò modò apta ad bujuscemodi muneribus fungendum, sed accommodata ad vitam civilem. Dominus animô valet, rem prudenter dijudicandò; servus corpore, officia servilia obeundô, præstat. Sicuti verò naturaliter imperat anima corpori, & omne nobilius ignobiliori : ita natura jubet, ut dominus imperet servo. Deinde natura utriusq; commodo atq; utilitati prospicere voluit. Dominus servô utitur tanqvàm instrumentó, servus, qvoniam ob defectum rationis sibi ipse consulere non potest, ad vitam tuendam adhibet domini consilium. Hæc est dominii atq; servitutis origo.

Hæc cum doctrina juris civilis parùm convenire videntur: dicit enim *Ulpianus* : *Qvia, qvod ad jus naturale attinet,* *R. J. 32.*
omnes homines æqvales sunt, & Imperator *Justinianus* : *Jure* *Instit. §. 2. de*
naturali omnes homines ab initio liberos nasci, atq; servitutem *jure natural.*
describit, qvòd sit *contra naturam.* Clarissimus Orator atq; *Instit. de jure*
Philosophus *Daniel Heinsius* non immeritò qveritur de falsa *personarum*
§. 2.
Jureconsultorum juris naturalis definitione; deinde vult con- *Epistola ad*
ciliare Jureconsultos atq; Philosophos : neq; enim Aristotelem *Georgium*
negare, omnes naturali jure esse liberos. Qvod verò minimè *Richterum.*
concedendum. An enim liber erit, qvi ex naturæ jussu, non suus sed alterius est? Asserit ipse *Aristoteles* : Ἔστι γὰρ φύσει δοῦλος ὁ δυ- *Polit. l. 1. c. 3.*
νάμενος ἄλλου εἶναι. διὸ καὶ ἄλλου ἐστί. *Est enim naturà servus is, qvi alius esse potest : qvare & alius est.* Mihi inter servum naturalem, & illum, qvem ex jure gentium describunt Jureconsulti, nulla videtur esse pugna. Potest aliqvis liber esse sensu civili, qvi tamen servus naturalis est. Cogita barbarum hominem, servum non dominum habebis, & si vel maximè dominus appelletur, nomine tantùm, non re ipsâ est. Contrà potest aliqvis esse servus ex lege seu jure gentium, qvi tamen liber homo ex naturæ jure meritò æstimatur. Qvando nobilis vir in captivitatem ducitur, alterius arbitrio ac voluntati subjicitur, constituitur servus jure gentiũ; liber homo nihilominùs à natura

P manet,

manet, qvoniam virtutibus eſt inſtructus, ut ſeipſum atq; alios regere poſſit. Ita multi hodie præclari viri à Turcis ad triremes & ſervitium damnantur. Sicut verò natura eſt immutabilis, ita talis per naturam ſervus nunqvàm erit liber: nihil hîc prodeſt in eccleſiis ceremonia, nihil vindicta, nihil epiſtola, teſtamentum, codicilli. Sed fortuna eſt mutabilis: ergo qvi jure gentium vocatur ſervus, manumiſſione à triſti ſervitutis nomine liberatur. Servum à qvalitate & facultate, unde diverſi proveniunt actus, definiunt Philoſophi: hinc alius aptus ad onera ferenda, alius ad currendum, ſicq; natura partitur diverſas qvalitates, ut dominus diverſa officia imponere qveat. Jureconſulti de ſtatu atq; ſervorum conditione, in qva nulla reperitur varietas, loqvuntur. Hanc ob cauſam Philoſophi vocem ſervi derivant à ſerviendo, qvoniam talis homo à natura ad ſerviendum aptus eſt: longè aliter Jureconſulti, uti enim habet *Florentinus*: *Servi ex eo appellati ſunt, qvòd Imperatores vendere, ac per hoc ſervare, nec occidere ſolent.* Qvamqvàm jus civile non planè negligit diverſas ſervorum qvalitates. *Topiarius ornandi, ſaltuarius autem tuendi & cuſtodiendi fundi magis, qvàm colendi, paratus eſt.* Appellantur etiam *diſpenſatores, inſularii, villici, atrienſes, textores, operarii.*

l. 4. §. 2. D. de ſtatu homin. l. 66. D. de legatis & fidei commiſſis. l. 203 de verborum ſignificatione.

Aliter etiam libertas accipitur à Jureconſultis, aliter à Philoſophis. Illic denotat potentiam alicujus agendi, prout placet: hîc virtutis exercitium, qvod facit, ut aliqvis liber & ſit, & appelletur, atq; tunc ex oppoſito vitioſus, qvia omni prudentiâ deſtituitur, erit ſervus. Sed ejusmodi vitioſus adhûc eſt liber ſenſu Jureconſultorum, prout habet agendi potentiam ea, qvæ vult: etiamſi enim dependeat à ſui domini voluntate; non tamen hoc accidit contra ſuam voluntatem, qvin ſponte ſubeſt alterius imperio, qvoniam ſeipſum regere neqvit.

Neq; verò ſervum lege talem incognitum habuit *Ariſtoteles*, qvi expreſsè dicit: Διχῶς γὰρ λέγεται τὸ δουλεύειν καὶ ὁ δοῦλος. ἔστι γάρ τις καὶ κατὰ νόμον δοῦλος καὶ δουλεύων. *Duobus enim modis dicitur*

Pol. l. 1, c. 4.

citur servire, & servus. Est enim qvidam lege servus, & serviens. Hôc tamen discrimine, ut de servo naturali, qvoniam leges sæpe iniqvæ sunt, potissimùm loqvatur.

Leges Romanæ concedunt domino in servum jus vitæ atq; necis: *Apud omnes peræqvè gentes animadvertere possumus, dominis in servos vitæ necisq; potestatem fuisse.* Hodie ex more Christianorum illa immanitas sublata est, neq; ampliùs domino licet occidere servum.

Inst. §.1. de his qvi sui vel alieni juris sunt.

CAPUT IX.

De Civitatis Magistratu. De Collegiis.

CIvitas, qvæ omnium optima societas, secundum formam non una eademq; est. Jam Monarchia, jam Aristocratia, jam Democratia cernitur, sunt etiam variæ mixturæ illarum formarum. Ex diversitate formarum diversitas obligationum civium erga Magistratum oritur. Ubi uni summa potestas est concessa, qvod ille in Republica sancit, legis ac obligationis habet vim. Si Optimates habent regimen; qvod vel omnibus, vel majori placuit parti, juris naturam induit. Popularis Respublica itidem legem vel omnium, vel plurium judiciô format: qvanqvàm sæpius nomine omnium pauci legem ferant.

Civitas sine ordine nunqvàm stabit, debent adesse imperantes & parentes: illi leges formant; hi legibus obtemperant. Naturæ jus illum ordinem præcipit, simul addens obligationem, ut pareamus.

Nihil refert an mas an fœmina Regno præsit. Neq; naturæ præceptum extat, qvô fœminæ ad capessendum imperium prohibeantur, cùm exempla sint, qvibus fœmineum decus sustineatur, atq; non sine felicitate Respublicæ administratæ fuerint. Sunt verò gentes, qvæ ad imperium solos mares evehere solent, ut Asiatici, Africani, Americani populi. In Europa diversa Imperia diversitatem pariunt. Germania, Gallia, Polonia, Portugallia non nisi mares in throno vident. Hispania, Anglia,

Svecia, Bohemia fœminas admittunt: qvanqvàm ratio subest, ut filio ad justam ætatem pervenienti Regni fasces mater tradat, prout nostra tempora de Rege Hispaniæ, Sveciæ loqvuntur.

Debet autem Magistratus justè imperare, ut leges cum honestate conveniant, qvòd si enim turpitudinem in se continenr, parendum non est ob legem superiorem, qvæ est naturæ jus, ab omni turpitudine abstinere jubens. Habet Magistratus suam vim, sed non in Deum, qvi juris naturæ auctor existit.

Neq; licitum Magistratui vim inferre conscientiis, Hanc ob causam subditos non potest cogere ad hanc vel illam religionem suscipiendam. Omnem violentiam respuit religio, atq; Deus spontaneum non coactum efflagitat cultum.

Si in societatem monarchici regiminis populus receptus, atq; mixtus est status, cavendum Regi, ne publicas leges, publicam salutem turbet, aliàs enim non injustè populꝰ adversùs Regem suâ vi uti videtur. Sed hæc res multas habet cautiones, & qvod in hac Rep. licitum, in altera illicitum erit, ob diversum regimen.

Habent suas leges Collegia, qvibus res suas ordinemq; tueri conantur. Si casus oritur dubius, à superiore, à Principe interpretatio petenda.

Si Collegæ ex sua voluntate qvasdam leges conficiunt omnes Collegas consentire necesse est: qvi enim dissentit ex cæterorum consensu non obligari videtur. Jllæ leges ut sunt arbitrariæ, ita plurium nedum universorum voluntate tolli posse, nullum est dubium. Non tenetur Princeps suis legibus, non testator suò testamentò, neq; socii privatis suis conventis.

In votis colligendis (loqvor de civilibus) Præsidis atq; Senioris sententia multùm valet aut valere debet. Rationes subsunt, qvas lector pensitabit.

CAPUT X.

De Hæreditate. De Rerum Dominiis. De Usucapione. De Venatione. De Contractibus

Post

Post mortem parentum in bona succedunt liberi : hi enim proximi sunt, qvibus relinqvendæ sunt facultates atq; opes.

Ex veterum Romanorum jure multum prærogativæ filii præ filiabus sibi vendicant. Nam ut testamentum valeret, filios, aut hæredes instituere, aut nominatim exhæredare cogebatur pater : non idem obtinebat circa filias, qvia licet hasce in testamento præteriisset, neq; hæredes instituisset, vel exhæredâsset, tamen testamentum adhûc subsistebat. Potiori jure in hæreditatis bona venit filius, qvàm filia : hæc enim inidonea est ad suum patrem, ut patremfamilias repræsentandum : sed videtur contenta esse debere, si dotem suam conseqvatur ex bonis paternis. Studendum dignitati familiæ conservandæ & propagandæ, qvod non aliter fieri poterit, qvàm ut masculis prærogativa detur in successionibus. Hanc ob causam emancipati non admittebantur ad hæreditatem , qvia per hos patris defuncti familia ad posteros non propagatur. Porro in universum plus tribuebatur masculis, qvàm fœminis : *Vetustas ex masculis progenitos plus diligens, solos nepotes vel neptes, qvi qvæve ex virili sexu descendunt, ad suorum vocabat successionem , & jure agnatorum eos anteponebat : nepotes autem , qvi ex filiabus nati sunt, & pronepotes, qvi ex neptibus , cognatorum locô connumerans, post agnatorum lineam eos vocabat , tam in avi vel proavi materni, qvàm in aviæ, vel proaviæ , sive paternæ , sive maternæ successionem* *Inst. de hæreditatibus, qvæ ab intesti : §.15.*

Imperatores posteà ex peculiari statûs ratione hæreditatis bona in æqvalitate posuerunt, ut æqvalia & fratres & sorores acciperent. Nihilominùs jure optimô manet adhûc hodie filiorum prærogativa, sumtus studiorum necessarii, & qvi sumtus in honores Academicos, in Magisteria, Doctoratus impenduntur, in collationem non veniunt.

Valde igitur iniqvum erit, qvando filiæ præ filiis ex communi hæreditate, qvæ ad omnes æqvaliter lege venit, locupletiores

tiores ſunt. Naturæ jus planè aliud vult; & verò ex illo inverſo ordine inimicitiæ oriuntur, qvæ cum ætate graviores exiſtunt.

Dominium eſt jus rem ſibi ſoli ac ſemper habendi. Hóc jus eſt in re, adeòq; non confundendum cum jure ad rem, qvod ſaltem prætenſionem dicit ad aliqvid, prout filius adhùc ſub patria degens poteſtate, tale jus habet reſpectu bonorum paternorum. Ergo dominus erit, qvi rem ſibi ſoli ac ſemper habet.

Deus hominem condidit tanqvàm dominum hujus univerſi, anima & corpore præſtantiſſimò ornavit, ut & de divino Numine ſanctè cogitaret, & ſibi omnia ſubjecta eſſe videret.

Ita verò natura ſortita eſt univerſas res, ut aliæ ſint communes, aliæ ſingulorum. *Cicero* juſtitiæ munus eſſe cenſet, *ut aliqvis communibus pro communibus utatur, privatis autem ut ſuis.* (Offic. l.1.c.7.)

Promiſcuam finxere bonorum communionem Poëtæ inter priſcos mortales, qvâ qvamdiu uſi fuiſſent, feliciſſimè vixiſſent. Magnâ ſeqvitur animi contentione illam opinionem *Grotius*. (l.2.c.2.§.2.) Verumenimverò dominium illud perhibetur clariſſimis verbis in Biblῐis ſacris, hancq; ob cauſam furtum eſt prohibitum, (Gen.c.1. & 9.) ut qvilibet rem ſuam propriam teneret, atq; civitates cõſtitutæ ſunt, ut adverſus hoſtem auferentem res alienas ſufficiens eſſet defenſio. Hinc ſponte ſeqvitur, iniqvum eſſe Reipublicæ regimen, in qvo Magiſtratus ſubditis qvacunq; oblatâ occaſione bona ſua eripiunt, vel invidis oculis illorum divitias atq; facultates adſpiciunt. Qvòd ſi autem aliqvis jure rem propriam habere poteſt, juſta qvoq; erit occupatio, ſecundum Philoſophorum canõem: Poſitô actu ſecundô, poni neceſſariò actum primum; qvamvis non reciprocô ſenſu ex primo actu ſtatim ad ſecundum concludendum ſit. Hinc enata eſt diſtinctio inter potentiale atq; actuale dominium. Illud commodatum à Deo univerſo generi humano primùm per Adamum, poſteà per Noachum, qvâ acceptione concedenda eſt rerum

communio:

communio: Sed actuale dominium prohibet alios iisdem rebus utendi fruendi.

Primum rerum dominium, prima rerum proprietas cum Adamo incepit, qvi res occupatas subdidit dominio suo, liberos habens actu sub suâ potestate. Posteà rerum dominiũ proprietatemq; habuit Cain fratre Abele occisô, qvod ipsũ expressis verbis asseritur: *Egressus Cain à facie Domini habitavit profugus in terra ad Orientalem plagam Eden.* Item: *Ædificavit civitatẽ, vocavitq; nomen ejus ex nomine filii sui Henoch.* Neq; planè absimile vero est ante factam familiæ separationem, jam tum Cain habuisse proprium suum veluti peculium. Erat ille jam perfectà ætate, colebat terram, matrimõium inierat (qvod ante cædem ponendum est: postqvam à Deo proscriptus & excommunicatus, soror in pietate instituta minimè illi nupsisset) & in illa terrarum vastitate facilis erat dominiorum distinctio.

Qvæ de potestate de rebus disponendi alias afferuntur, concernunt potiùs effectum dominii, qvàm ipsum dominium. Ille effectus à Magistratu civili sæpius impeditur: *Furiosus nullum negotium contrahere potest* pronunciante Jureconsulto *Paulo*, & *Pomponio*: *Furiosi vel ejus cui bonis interdictum sit, nulla voluntas est.* In bonis feudalibus multa sibi vendicat Magistratus, qvò minus domino concedatur potestas disponẽdi, alienandi. Ita enim in bona Republica comparatum esse debet, ut salus societatis publicæ legem ponat, & Magistratûs dignitas atq; auctoritas ubiq; emineat.

l. 5. de R. J.
l. 40. de R. J.

Ad usucapionem progredior. Qvoniam nemo plus juris in alium transferre potest, qvàm ipse habet, ille qvi emit rem à non-domino, licèt solvat pretium, non tamen fit dominus rei, sed potiùs erit bonę fidei possessor; cùm enim opinetur venditorem esse dominum, non aliter potest, qvam de se habere bonam opinionem, qvòd factus sit dominus. Injustum autem videtur, si permultos annos qvis possederit bonâ fide, eum suâ possessione privari; dum hac ratione contingeret, neminem secu-

securum esse in civitate de re emta, vel donata, vel legata, qvòd eam retinere posset. Omnino igitur ex æqvitatis ratione fuit, dominis concedere temporis spatium certum, intra qvod in res suas inqvirere, easdemq; vendicare possent, idq; tempus si patiantur effluere, priventur suô dominiô & hoc adjiciatur bonæ fidei possessoribus.

Circa usucapionem Justinianus Imperator correxit tempus. Apud veteres enim res mobiles usucapiebantur unô annô, res immobiles bienniô, id est, possessores bonæ fidei, si qvietè possedissent rem mobilem per annum, immobilem per biennium, fiebant domini, & veros dominos à dominio excludebant: Justiniano nimis rigidum visum fuit tam arctum tempus præscribere, qvô nisi inqvirant in res suas, dominium amittant. Itaq; longius prædefinivit temp9, ut scilicet res mobiles tribus annis usucaperentur, res immobiles decenniô inter præsentes, vicenniô inter absentes. Hactenus de jure civili.

Sed datur etiam usucapio imperiorum inter diversos Principes atq; populos, sæpe tunc non aliam rationem qvàm tempus allegari vides. Memorabilis est locus apud *Thuanum:*
l. 59. p. 43. *Nec verò Principes si rogentur, qvô titulô tot provincias possideant, aliud, qvod respondeant, habere, qvàm eas ita à parentibus accepisse. Philippum reposcentem Neapolis & Siciliæ Regna, Mediolanensem Principatum, Regnum Navarræ, Placentinam arcem, Cameracum, Brabaniiæ Principatum, non aliud respondere solitum, qvàm ea ita à patre accepisse.* Et qvæ alia plura in hanc sententiam seqvuntur verba.

Eqvidem tempus per se nihil efficit, nullum dat jus aliqvid occupandi, sed qvando rudi Minervâ aliqvis ita de tempore loqvitur, intelligit simul omissionem rei, sive animum amittendi.
Tractatu de Finib. c. 23. Non aliter philosophatur magni nominis Vir Dn. *Conringius.* Qvando enim Italiam adhûc hodie ad Romano-Germanici Imperii ditionem pertinere probat, hôc utitur argumentô: *Qvod nec apertè nec tacitè jurib9 illis Germania hacten9 renunciaverit*

eoq;

eoq; ne quidem longi temporis aliquâ præscriptione integram libertatem sibi Italia pepererit. Vides nullum probationis robur ex nudo temporis respectu accedere, nisi adsit voluntas rem amittendi. Ut verò tollantur lites, alioqvin in infinitum duraturæ, ut consulatur tranqvillitati publicæ hoc jus usucapionis inter gentes introductum est.

De venatione hoc annotandum, non adeò commodam sententiam esse, qvando cuilibet occupatio ferarum conceditur. Veteres Jureconsulti justum illud dicebant, qvod observatum esset à gentibus, anteqvàm civitates conderentur. Sed consvetudo nostrorum temporũ propiùs accedit ad regulã naturæ juris: non enim omnibus jus venandi, neq; omni tempore competit, sed certis tantùm personis, certô etiam atq; descriptô tempore.

De contractibus paucissimis verbis agendum. Natura nonsolùm hominem inclinat ad societatem colendam, sed etiam necessitas, dum sine opera, & exortis dominiis sine adjumento rerum alterius vivere neqvit. Constituit verò natura hominem liberum, ut invitus aliqvid façere in gratiam alterius minimè cogatur. Hinc contractus invenit, per qvos unus alteri obligatur. Exinde proveniunt emtio & venditio, commodatum & mutuum, pignus, & qvæ alia in contractibus obveniunt nomina. Sed magnoperè errant, qvi introductis demum distinctis dominiis contractuum necessitatem statuunt: operæ enim nunqvàm communes, sed semper à socio impetrandæ fuere.

CAPUT XI.
De Transitu Exercitûs.

MAgnum hìc discrimen constituitur inter Philosophos, & eos, qvi jus in armorum vi ponunt. Ex naturæ enim lege omnino dicendum videtur, non impediri debere transitum per alienam terram. Loqvor de innoxio transitu, ubi nullum incommodum sentit aliena Respublica. Juris enim naturæ est, ut alteri prosis, ubicunq; ipse non sentias incommodum. Sed

Principes ejusmodi transitum impedire licere putant,atq; tunc disputandum non qvid fiat,sed qvid fieri debeat.

Petendus verò ejusmodi transitus, ob jus qvod proprietatis dominus habet. Si enim per villam privati cujusdam transire, eô non rogatô, minimè permissum est, injustum erit factum, insciente nolente dominô,tantis copiis ingredi alienas ditiones;idq; eò magis,qvòd securitas publica attrectatur.

Cogitandum etiam,an transiturus habeat justam bellandi causam, an subsit necessitas,ut injuriam vindicet,ut patriæ succurrat.Tunc ne alii subveniendô,tibì ipsi desis,cogendus est transiturus, ut idoneè caveat de non inferendo incommodo, qvod fieri poterit obsidibus datis,aut juramentô præstitô.

Prospiciendum porro, ut frumentum, & qvæ alia pretii magnitudine à tanta hominum copia augentur, transiturus majori pretiô redimat, atq; auxilium promittat,si forsan ob concessum transitum hostis inveniatur.

Hic denegatus innoxius transitus justam gladiô aperiendi viam atq; legitimam belli causam præbet: alteri enim, qvi perituræ patriæ succurrere, qvi injuriam illatam ulcisci vult, contra naturæ regulam impedimento es, qvò minùs se suamq; rem defendere possit. Ergo qvod precibus non acqviritur,vi & armis acqvirendum.

Qvòd si verò transiturus idoneè cavere, jusjurandum persolvere detrectet, non injustum erit, transitum denegare. Tunc enim scelus subesse intelligitur, ut te aliumq;, cum qvo fœdere junctus es,armis opprimat. Hoc verò esset suâ sponte toxicum in corpus derivare.

Prætereà, qvoniam innoxius planè debet esse transitus, non erit concedendus, qvando contagione atq; pestiferâ lue exercitus est infectus. Ita enim alteri serviendum,ne tibi ipsi noceas. Non præter rem erit doctam Dn. Röserns Exercitationem de transitu exercituali in hac Leucorea A. C. M DC LXVI. publicè habitam conferre, ubi benevolus lector & pro affir-

affirmativa & negativa ſententia in compendio habebit argumenta.

CAPUT XII.

De Jurisdictione Maritima. De Commerciis.

QVi hanc controverſiam de jurisdictione maritima tractarunt principes ſcriptores ſunt Grotius, cui titulus mare liberum, atq; Seldenus in opere, qvod inſcripſit mare clauſum, parùm commodô, ut eruditi æſtimant, nomine. Valde etiam laudatur labor Dn. Strauchii.

Ardua eſt controverſia, & qvam ſummæ poteſtates gladiô potiùs atq; armis, qvàm philoſophicis argumentis dirimendam cenſent; regnat in Rebuspublicis ratio ſtatùs, qvæ jam laxiùs, jam ſtrictiùs jurisdictionem illam interpretatur, & qvod aliô tempore impugnatum, jam magnô ſtudiô aſſertum vides. Sunt qvi pro Reipublicæ affectu ex ipſa Philoſophia non unam probant ſententiam, qvale ingenioſum ſpecimen deprehenditur in Grotio atq; Seldeno.

Hic iterũ rejiciendus error veterũ Jureconſultorum Romanorum, qvi id juris naturæ eſſe ſtatuerunt, qvod à gentibus receptum, cùm tamen multa in ſocietate gentium imperfecta civitatibus conditis ad perfectionem pervenerint, hancq; ob cauſam jus naturale qværendum ſit in civitate tanqvàm perfectisſima ſocietate.

Concedenda eſt igitur jurisdictio maritima, non illa univerſalis, ac ſi unus aliqvis in totum mare monarchiam exercere deberet, ſed particularis pro certa territorii parte. Dicuntur eqvidem litora communia & juris gentium, qvatenus nimirum omnibus peregrinis conceditur ibi conſiſtere, merces deponere, & ſubſiſtendi gratià tugurium conficere (qvò enim commercia cum peregrinis & longè disſitis populis tractari poſſint, neceſſe eſt his adventantibus uſum litorum concedere) ſed inde non ſeqvitur, nullum Principem aut Regem dominum litorum eſſe, & imperium in eisdem exercere poſſe; ùt adeò malè

nonnulli tradant POTENTISSIMUM ELECTOREM BRANDENBURGICUM non habere poteſtatem prohibendi collectionem ſuccini in litoribus.

Non abutendum verò eſt jurisdictione maritimâ, ac ſi nihil non in ingredientes aut tranſeuntes ſtatuere liceret. Multùm hoc imperium, qvoniam cum exteris gentibus, imo cum toto terrarum orbe freqventatô mutuô commerciorum uſu, diverſum. Alibi tibi tanqvàm Principi imperandi major eſt libertas conceſſa, hic cavendum, gentium, atq; ut ſic loqvar, totiûs terrarum orbis invidiam effugias.

Ad liberam maris navigationem ſtabiliendam inventum olim fuit fœdus Hanſeaticum, qvod iniere & civitates in Imperio, & extra Imperium ſitæ, mirô qvidem ſucceſſu: potentia enim illarum civitatum ipſis Principibus formidabilis extitit, qvi non ceſſarunt, datô commodô tempore illam infringere potentiam. Hactenus vix umbra Hanſeaticarum civitatum conſpicitur, niſi qvòd Lubeca, Hamburgum, Brema, Dantiſcum, Coloniæ, & aliæ qvædam in iſto fœdere perſiſtunt, dumq; hoſtibus, piratis impares, jam à Batavis, jam ab Anglis proteguntur.

Jam de commerciis paucis. Jus naturæ vult, ut commercia inter gentes exerceantur, atq; hac ratione indigentiæ ſuccurratur. Sunt regiones, qvæ metallis abundant, frumentis deſtituuntur, in aliis contrarium vides, atq; tunc jucundæ inſtituuntur commutationes.

Contra naturam verò erit commerciorum mutuum prohibere uſum. Si enim ex omnibus gentibus una qvædam ſocietas conficienda eſt, non debet mutuum ceſſare auxilium. Sed ne civitas ſibi ipſi noceat, inprimis frumenti rationem habeat. Hoc ex ſingulari prudentia Principum Conſiliarii hactenus obſervarunt, & qvod aliàs fieri ſolet, ut bellum annonæ caritas comitetur, nunc undiq; magna frumenti copia adſit.

Sed qvas merces, qvem veſtitum atq; ornatum Gallia in

Germa-

Germaniam portare solita est, non injustè ille prohibetur. Est enim Gallus Imperii hostis, atq; mercium illarum vilium freqventia opum nostrarum avectionem efficit.

CAPUT XIII.

De Legationibus. De Foederibus. De Pactis. De Restitutione in integrum.

SAncti & inviolabiles debent esse Legati, ne Legatorū missione inter hostes sublatâ, omne commercium paciscendi intercidat, omnisq; via ad pacis conditiones concipiendas intercludatur. Unde *sacrum etiam inter exteras gentes Legatorum jus vocat Tacitus*, atq; apud eundem scriptorem Germanicus *Histor.l.3.c.8* milites alloqvitur: *Hostium qvoq; jus, & sacra legationis, & fas* *Ann.l.1.c.42.* *gentium rupistis.* Fœdissimum ac atrocissimum Helenæ Russorum Reginæ factum est, qvod refert *Bodinus*, dignum Rus- *de Rep.l.5.c.6* sicâ sœvitiâ exemplum, si modò in hostes perpetratum. Ami- *p. 967.* cos amicitiamq; qværentes ita per injuriam opprimere contra naturæ jus est, adeoq; ab homine planè alienum. Justas itaq; & violati juris & tantorum cædis virorum pœnas, in suammet necem miserrimè versa, dedit.

Qvamvis autem in violatione Legatorum nulla satis justa causa ad sceleris patrocinia prætexi possit: sunt tamen qvidam casus, qvibus non qvidem violari Legati, finibus tamen excedere juberi, aut apud mittentes de illata injuria conveniri possunt. Ita Holsatiæ Ducis Legatum insolentiùs se gerentem domum nuper remisit Persarum Rex. Qvòd si vim armatam intentet Legatus, sanè occidi poterit, non per modum pœnæ, sed per modum naturalis defensionis.

Qvod de Legatorum personis statutum, de ipsorum qvoq; comitibus & ministris, uti etiam vasis & bonis mobilibus intelligendum censeo, non tamen ita laxè, ut de ipsis Legatis. Qvando itaq; comites Legatorum injuriâ qvenqvam ex iis, ad qvos mittuntur, affecerint, postulari possunt apud Legatos, & hi, si atrocius sit crimen, ad deditionem coguntur.

Hùc ſpectat qvæſtio; Utrum jure talionis Legati ejus violari jure poſſint, qvi ſimile qvid patravit? Legatos eſſe ſanctos ac inviolabiles jam antè monitum, & naturæ jus non tantùm dignitati mittentis auxiliô hujus privilegii: ſed etiam ſecuritati ejus, qvi mittitur, conſulit. Qvare, licèt mittens pœnam aliqvam fuiſſet meritus; parcendum tamen eſſet Legatorum ſanctitati, ne ſcelera ſceleribus expientur. Egregium. fidei publicæ exemplum exhibent Romani, qvod extat apud *Valerium Max.* Timens Amilcar, ne, qvas Punicâ fraude Cornelio Aſinæ Carthaginenſes injecerant catenas, iisdem ipſe oneraretur, ire in Romanorum caſtra ad pacem petendam noluit. Hanno autem, virtutis Romanorum certus, nihil tale timens, maximâ fiduciâ ad colloqvium eorum tetendit. Apud qvos cùm de belli fine ageret, & Tribunus ei dixiſſet: *Poſſe illi meritò evenire, qvod Cornelio accidiſſet*, ùterq; Conſul, Tribunô tacere juſſô; *iſtô te*, inqvit, *metu, Hanno, fides civitatis noſtræ liberat.* Qvaſi dicerent: Vos Pœni qvibus lubrica ſemper fides, eadem vos fraude perituros timetis, qvâ alios impetitis, ſed fides populi Romani, ne id metuatis, efficit.

l. 6. c. 6.

Fœdus inire eſt effectus Majeſtatis: ubi igitur populus erit ſuperiorem non habens, ibi fœderis ratio locum habebit.

Ad fœdus ineundum inſtigat natura: dum enim naturæ jus hominum pravitate occultatur, ſanctô fœderis nomine faciendum, ut tuti ſimus, ut commercia inſtituamus, atq; ſatis roboris habeamus ad injuriam nobis illatam vindicandam. Nonnunqvàm fœdus juri naturæ qvædam ſuperaddit; talia multa ſunt, qvæ ſingularibus conventionibus conſtituuntur,

Aliud fœdus eſt æqvale, aliud inæqvale. Illìc pares cöeunt, hic impares, dum unus ſuperioris reſpectum habet. In hoc ultimo genere cavendum, ne libertas periclitetur.

Deinde aliud fœdꝰ eſt temporale, aliud æternũ. Ex ipſa appellatione res clara atq; manifeſta eſt; modò notetur æternum

fœdus

fœdus significare tempus longissimum, &, si ejusmodi fœdus dissolvendum, solenni denunciatione opus esse.

Non verò in se turpe est cum barbaris atq; à Christiana religione planè alienis gentibus fœdus inire, inprimis commerciorum gratià. Qvòd si arma conjungenda, opera danda, ne hoc in fraudem veræ religionis fiat. Qvò nomine pessimè audit Franciscus I. Galliarum Rex, qvòd adversus Imperatorem fœdus fecit cum Turcis: qvanqvàm neq; hôc tempore Christianissimus (cogita humanissimũ atq; singulare nomen) Ludovicus XIV variis turbis atq; seditionibus bellum excitare cesset. Melius sanè esset, si omnes Christiani Principes, si omnis Christianus populus, contra Turcam infensissimũ Christiani nominis hostem vires conjungerent. Sed hoc ut optandum, ita vix sperare licet.

Pactum omne dicit obligationem. Illa obligatio desinit, qvando gravior casus aliqvis intervenit. Princeps alteri fœderato promittat auxilium, ipse autem armis hostilibus opprimatur, facilè excusabitur, si non servaverit promissum.

Bene etiam *Cicero*: *Si constitueris te cuipiam advocatum in rem præsentem esse venturum, atq; interim graviter ægrotare filius cœperit, non sit contra officium, non facere qvod dixeris.* Sunt igitur alia pacta publica, alia privata. *Offic. l.1. c.10.*

Porro qvoniã alia pacta ex solo naturæ jure, alia ex lege civili obligationem habẽt, inde nuda atq; non nuda vocantur. Qvanqvàm nudũ pactum lege civili tolli possit, uti in Scto Vellejano.

De restitutione in integrum paucissimis verbis agendum. Est Jureconsulti Pauli pronunciatũ: *Qvi non facit, qvod facere debet, videtur facere adversus ea, qvia non facit.* Ex hac vel actione vel omissione oritur restitutio in integrum, seu obligatio naturalis damnum illatum resarciendi. Habet homo qvædam propria ex natura, qvædam ex dominio, aut pacto, nonnulla ex lege. In omnibus generibus, qvàndo damnum occurrit, locum habet restitutio in integrum. *121. R. J.*

Utrun-

Utuntur etiam Principes remediô reſtitutionis, qvatenus immodicè aliqvid egerunt, aut donaverunt, inprimis qvando lex publica alienationem Principalium bonorum prohibet.

CAPUT XIV.

De Bonis Eccleſiaſticis.

Duplicia ſunt jura, qvibus Majeſtas ornatur & eccleſiaſtica, & ſecularia. Pontificii aliter loqvuntur, qvi ad ſuum Caput viſibile, atq; ſanctos Adminiſtros jura eccleſiaſtica ſpectare volunt. Nihilominùs tamen Imperator Romanus inter poteſtatis ſuæ axiomata refert jus primariarum precum, vulgò Panis Brieffe/ ex qvo jure in Eccleſiis cathedralib9 & collegiatis, qvæ Cæſareæ vocantur, Canonici conſtituuntur. Ita in Magdeburgenſi Archiepiſcopatu AUGUSTISSIMUS LEOPOLDUS ex numero qvinqve Eccleſiarum, qvinq; nominare atq; aſſumere juſſit Canonicos.

Ex jure Majeſtatis circa ſacra evenit bona eccleſiaſtica ad res ſeculi converti poſſe, ſed ſubeſſe debet neceſſitas: Intentio enim fundatorum qvia bona eſt, atq; ſæpius diris devovet illum, qvi contra inſtitutum aget, non evertenda eſt. Diſtingvendum etiam eſt inter bonorum eccleſiaſticorum ſuppreſſionem atq; extinctionem. Nonnunqvàm bona eccleſiaſtica pro ratione ſalutis publicæ ad res ſeculi convertuntur, qvæ tamen Republicà bene ordinatà, revocantur. Sed haud raró fit, ut bona eccleſiaſtica rebus ſeculi planè addicantur, & omnis ſpes ad priſtinum redeundi nomen ceſſet

§(O)§







